PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

B. OJETTI S. I.

IN PONT. UNIVERSIT. GREGORIANA PROFESSOR

COMMENTARIUM

IN CODICEM

IURIS CANONICI

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

(Canones 108-144)

★ ★



ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1930

22464

IMPRIMI POTEST

Petrus Boetto, S. I., Praepositus Provinciae Romanae

IMPRIMATUR

† Ioseph Palica, *Archiep. Philipp., Vicesger.*

IUS PROPRIETATIS RESERVATUR

« La Cardinal Ferrari » S. A. I. - Tipografia - Via Germanico, 136 - Roma

INDEX

DE CLERICIS

Prooemium . . . . . pag. 1

Sectio I. — *De clericis in genere*

Canon 108 . . . . . » 3
» 109 . . . . . » 18
» 110 . . . . . » 24
Excursus ad can. 110. — *De « praelato » in hodierno iure canonico* . . . . . » 25

Titulus I. — De clericorum ascriptione alicui dioecesi

Canon 111 . . . . . » 28
» 112 . . . . . » 33
» 113 . . . . . » 34
» 114 . . . . . » 36
» 115 . . . . . » 37
» 116 . . . . . » 37
» 117 . . . . . » 38

Titulus II. — De iuribus et privilegiis clericorum.

Canon 118 . . . . . » 41
Excursus I ad can. 118. — *Num mulier capax sit iurisdictionis ecclesiasticae.* . . . . . » 43
Excursus II ad can. 118. — *De clericorum immunitatum origine* . . . . . » 48
Canon 119 . . . . . » 58
» 120 . . . . . » 66
» 121 . . . . . » 71

Excursus ad can. 121. — *De immunitate clericorum a militia* . pag. 73
Canon 122 . . . . . » 79
» 123 . . . . . » 81

Titulus III. — De obligationibus clericorum.

Canon 124 . . . . . » 83
» 125 . . . . . » 85
» 126 . . . . . » 88
» 127 . . . . . » 91
» 128 . . . . . » 93
» 129 . . . . . » 95
» 130 . . . . . » 98
» 131 . . . . . » 100
» 132 . . . . . » 103
Excursus ad can. 132. — *De caelibatu clericorum* . . . . . » 110
Canon 133 . . . . . » 118
» 134 . . . . . » 123
» 135 . . . . . » 125
» 136 . . . . . » 137
» 137 . . . . . » 147
» 138 . . . . . » 148
» 139 . . . . . » 153
» 140 . . . . . » 158
» 141 . . . . . » 158
» 142 . . . . . » 160
Excursus ad can. 142. — *Utrum clericis liceat pecuniam investire in actionibus aut obligationibus mensarum nummariarum* » 163
Canon 143 . . . . . » 169
» 144 . . . . . » 170
Index analyticus . . . . . » 173

PARS PRIMA

DE CLERICIS

TROTIUS B., De clerico vero et perfecto, Lugduni, 1535. — LOPIS D., Tract. de clericorum et sacerdotum excellentia, Valent., 1588. — SARAGOZA DE HEREDIA M., De sacerdotali dignitate, Romae, 1617. — BELLETTI I. M., Disquisitiones clericales, Ravennae, 1618. — DE URRIEZ P., Tract. de cognitione clericatus, Duaci, 1628. — A MANSFELD C., Castra Dei, seu de vita, honestate et officiis clericorum, Antuerpiae, 1650. — DE GRASSIS C., Tract., de effectibus clericatus, Venetiis, 1674. — ANTONELLI I., De iuribus et oneribus clericorum, Romae, 1699. — BOECKHN, De clero seu de obligationibus, officiis, beneficiis et iuribus utriusque cleri, Salisburgi, 1728-31. — DUPERRAY M., Traité de l'état des ecclésiastiques, Paris, 1738. — B. BELLARMINUS ROB. S. I., De vita et honestate clericorum, Romae, 1769. — VERHOEVEN, De regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis, Lovanii, 1846. — SCHEEMANN G., Die kirchliche Gewalt und ihre Träger, 1867. — PIOLA G., v. « Chiesa » in *Digesto Italiano*, VII, 1, 1887-96. — CALISSE C., v. « Clero » in *Digesto Italiano*, VII, 2. — MANACORDA A., Specimen iuris et disciplinae ecclesiast., Fossani, 1897. — HERGENROETHER-HOLLWECK, Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts, n. 317 sqq. — PHILLIPS, Lehrbuch des Kirchenrechts, I, § 61. — SAEGMUELLER, Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts § 54 sqq. — WERNZ, Ius Decretalium, II, 157 sqq.

B. ROBERTUS BELLARMINUS in suis *Controversiis christianae fidei*, in praefatione, quam praemittit controversiae *de membris Ecclesiae militantis*, eam, desumpta figura ex Scripturis, proponit velut castrorum aciem ordinatam tribus diversis ordinibus militum, Christo auctore, distinctam.

Nobilissimus omnium est *ordo clericorum* constans ex ducibus aciei vel ducum ministris, in primis Romano Pontifice

aciei vicario imperatore (Christus enim summus imperator, cui data est omnis potestas in caelo et in terra, suam tamen praesentiam solis caelestibus aspectabilem praebet), cui proximi sunt episcopi, veluti militares tribuni, nec non presbyteri, parochi praesertim, qui quasi centuriones praesunt singulis cohortibus, et inferiores administri mandata imperatoris ac ducum ad gregarios milites perferentes. Ad gregarios milites, inquam, idest ad *populum fidelem*, ad eos scilicet omnes, qui in baptismo Christo nomen dederunt, sacramentum percipientes regenerationis, et postea sacra confirmatione ad praelium inuncti sunt et spiritualibus armis donati atque instructi.

Tertius est militum ordo, vel potius ex duobus primis quidam sunt, qui in ordine ad sanctificationem personalem a ceteris distinguuntur, quia sunt in statu perfectionis adipiscendae per observantiam consiliorum evangelicorum (1). Sunt autem *religiosi*.

« Haec igitur est Ecclesia Dei vivi », ait BELLARMINUS, « haec sunt castra Sanctorum, tribus militum ordinibus ab ipsa Dei sapientia divino plane consilio disposita atque distincta, quae quidem licet adversus omnes hostiles acies insuperabilia atque invicta consistant, neque ullam sive humanam sive diabolicam vim sub omnipotentis Imperatoris praesidio pertimescant », contra tamen Satanae incursiones et pugnam continuo dimicare debeant.

Quum igitur in praesente libro de personis agendum sit, pronum est intelligere, ut ante omnia de *clericis* sermo fiat, seu de praecipuis personis in Ecclesia, de ducibus agminis christiani.

---

(1) Quare non bene ab antiquioribus quibusdam posita est quaestio, utrum religiosi clericis vel laicis essent accensendi. Ratio enim, qua fideles in clericos et laicos, et in religiosos vel seculares dividuntur, est omnino diversa. Religiosi praescindunt omnino ab hoc, quod sint clerici vel laici, sicut clerici praescindunt ab hoc, quod sint religiosi vel seculares.

SECTIO PRIMA

DE CLERICIS IN GENERE

CANON 108.

§ 1. *Qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt, clerici dicuntur.*

§ 2. *Non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur.*

§ 3. *Ex divina institutione sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris; ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.*

1. § 1. Paragraphus prima canonis nobis praefert *clerici* (1) definitionem. Statuit autem tales eos dici, — ***qui divinis ministeriis... mancipati sunt.*** — Et iure quidem, ut iam facile deducitur ex iis, quae ad superiorem canonem disputata sunt.

(1) Clericorum appellatione antiquo iure dicebant auctores non venire *in odiosis*, *episcopos* (c. 4 de sent. excomm. [V, 11] in 6°) et *dignitates* saltem in capitulis (c. 15 de rescr., [I, 3] in 6°), imo, secundum quosdam, *canonicos*, qui dignitatibus accedunt, seu canonicos ecclesiae cathedralis (c. 11 tit. cit., [I, 3] in 6°, sed, addit D'ANNIBALE, I, 88, hoc non est perpetuum), nec non verius *regulares*, licet tonsuratos (D'ANNIBALE, l. c.); sed clericos tantummodo seculares inferiorum ordinum; *in favorabilibus* vero omnes *clericos*, sive sint prima tantum tonsura initiati, sive in minoribus vel maioribus ordinibus constituti, sive praeterea sint canonici, sive episcopi, sive cardinales. Imo in materia favorabili certum est hoc nomine venire etiam *monachos* seu religiosos, quin imo etiam *moniales* seu religiosas, ut in celebri canone 29 C. XVII q. 4 : « Si quis suadente diabolo, etc ». Cfr. c. 2343 § 4. — Iure hodierno non item. Eo enim hoc nomine, sive agatur de odiosis, sive de favorabilibus, veniunt *omnes tonsurati*, non exclusis episcopis, nisi aliud expresse caveatur, ut patet ex can. 2227 § 2.

Illud enim supra laicos obtinent clerici, quod divina officia celebrare, in altari ministrare et sacra soli contingere possint. Laicis enim nihil huiusmodi permissum ; qui Deo per ordines non consecrati ordinum officia exercere non debent, et qui sancti non sunt, sancta non debent tractare (2).

mancipati, — quod a « mancipo » deductum significat proprie « in alterius potestatem transferre » (3), seu, sensu translato, « addicere, subiicere, obligare », ita ut divinis servitiis mancipatos significet eos divinis his ministeriis ita esse addictos, ut nihil aliud praeter hoc intendere, nihil praeter hoc quaerere debeant (4). Pertinent enim ad generationem « quaerentium Dominum » (5). Quare iure merito hi *clerici* dicuntur (6), qui in suo ipsi nomine rationem suae destinationis inveniant (7).

---

(2) Principium hoc desumitur ex *Epistola* Innocentii I ad Maximum et Severos episcopos per Brutium, relata apud Gratianum, c. 6 dist. 81. Vere Innocentius loquitur de clericis incontinentibus a ministerio removendis, quia qui sancti non sunt, sancta tractare non debent. Quare non agitur hic de sanctitate quadam muneri addicta, verum de sanctitate personali ; sed per appropriationem, ad aliam principium transfertur.

(3) Quare *mancipium* loco servi erat et servituti saltem facti addicebatur, iure libertatis servato. Cfr. Gaium, *Instit.*, I, 116 ; 138 ; Livium, XLI, 8.

(4) Iste est conceptus, qui in toto ritu « de clerico faciendo » in *Pontificali Romano* emergit, ubi episcopus astantes ad orandum invitat « Dominum nostrum Iesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet et a mundi impedimento ac seculari desiderio corda eorum defendat ».

(5) Confer in *Pontificali Romano* antiphonam secundam « de clerico faciendo ».

(6) In primitiva Ecclesia nomine clericorum insigniti inveniuntur dumtaxat *presbyteri* et *diaconi*. At deinceps *subdiaconi* etiam, *lectores*, *ostiarii*, etc., eo nomine indicantur. Cfr. ex Constantino, l. 7 de episcopis, etc., XVI, 2. Cod. Theod. et ex Gratiano Imp., l. 24 tit. cit. Cod. Theod. Imo iam Cyprianus, *Epist.* 24 (M. P. L., IV, 287), clericos dicit Optatum subdiaconum et Saturum lectorem.

(7) Hinc iure S. Hieronymus, *Epist. ad Nepotianum* (M. P. L., XXII, 531), inquit: « Clericus..... interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione perlata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος graece, *sors* latine appellatur, propterea vocantur clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest pars clericorum est ». Quod clare etiam indicatur in *Pontificali Romano*, loc. cit., ubi ipse tonsurandus, quum tondetur hanc iubetur publicam facere confessionem : « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei : tu es, qui restitues hereditatem meam mihi ». Ubi etiam nota, contra Lutherum et Calvinum, omnes quidem fideles vocari in sortem filiorum Dei, quia omnes pertinent ad Ecclesiam, quam Christus acquisivit sanguine suo ; sed id ipsum magis propria ratione praedicari de clericis, seu de illa Ecclesiae parte, quae altaris ministerio consecrata, sors et hereditas Christi est. Quod etiam de Ecclesia Ve-

2. *per primam saltem tonsuram,* — quae ordo non est, sed initiatio ad ordines (8), et dicit praecise mancipationem istam divino famulatui, quae proinde tacite insinuatur necessaria, ut quis ad ordines promoveatur : hos enim conferre non decet iis, qui non induerunt « novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » (9). Sufficit autem ad hanc inscriptionem clero faciendam *prima tonsura* (10). Haec igitur est ritus sacer ab Ecclesia institutus, quo quis a plebe segregatur et in numero clericorum ascribitur : est scilicet simplex deputatio et consecratio personae ad

---

teris Testamenti merito dictum fuit ; quia etiamsi, ut patet ex sacris Libris, universa Synagoga Iudaeorum merito dicta fuerit hereditas Domini, peculiariter tamen id de *tribu Levitica* dictum est. Ita *Num.*, XVIII, 20 : « Ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel », et VIII, 13 sq. : « Statuesque levitas in conspectu Aaron et filiorum eius et consecrabis oblatos Domino ac separabis de medio filiorum Israel, *ut sint mei* ». Quare in *Deut.*, XVIII, 2 : « Dominus enim ipse est hereditas eorum (levitarum), sicut locutus est illis ».

(8) Omnes contra paucos. Et probatur ex Tridentino, quod, sess. XXIII, c. 2, loquitur de *septem* ordinibus (tribus maioribus, quatuor minoribus), et dicit statutum esse, ut qui iam clericali tonsura insigniti sint, per minores ad maiores ordines ascendant. Probatur etiam consensu fere unanimi canonistarum et theologorum. Probatur denique ratione theologica, quia tonsura nullam confert accipienti potestatem : ordo autem potestatem, saltem minimam, ad ministeria divina dicit. Argumentum vero desumptum ex *Pontificali Romano* (cfr. ad ex. PESCH, *De sacra ordinatione*, n. 518), quod eam ab ordinibus distinguat, non magni ponderis est. Nam in ipso *Pontificali* ad finem tituli « de clerico faciendo » dicitur : « Tunc suggerente archidiacono, *ordinati* redeunt ad loca sua ».

(9) *Ephes.*, IV, 24.

(10) Et hanc initiationem eo ritu consequuntur, non vero initiationem aliquam potestatis iurisdictionis, seu potestatem iurisdictionis *in actu primo*, ut nonnulli dixerunt ; nisi eo nomine veniat habilitas seu aptitudo ad eam recipiendam. — De hoc autem ritu RUFINUS in *Summa* (edita ab HENRICO SINGER, Paderborn, 1902, sub hoc titulo : *Die Summa Decretorum des Magister Rufinus*), pag. 54 in fine, dicit : « Hic videndum est, unde rasio clericalis corone initium sumpserit et quid corona illa significet, et summitatem capitis quare radimus et capillos inferius relinquimus. Tonsure igitur ecclesiastice usus a Nazareis videtur exortus, qui prius crine servato denique ob continentiam caput radebant et capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc inolevit usus, ut qui divinis cultibus mancipantur quasi Nazarei, i. e. sancti, crine posito inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur : " Fili hominis, sume gladium acutum et duc super caput tuum et barbam „. In actibus etiam apostolorum Priscillam et Aquilam hoc fecisse legimus, Paulus quoque et alii quidam discipuli hoc fecerunt. Vel, sicut alii tradunt, Petrus in memoriam. Sciendum est quod Petrus in memoriam dominice passionis primus ita tonsus est, et nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, signum dominice passionis i. e. formam spinee corone, quam ipse passionis tempore portavit in capite, ideo in nostris portamus verticibus, ut sicut ille pro nobis, ita et nos pro illo irrisiones et obprobria paratos libenter sufferre monstremus. Vel ideo coronam gerimus, quia reges esse debemus, et nos et alios virtutibus regentes. Rasio vero capitis temporalium omnium depositio est... ».

divinum cultum Deo specialiter exhibendum per vitam clericalem honeste actam (11).

3. § 2. Clerici, etsi omnes Deo dedicentur et in eius sortem vocentur, nec non aliquam potestatem ad divina ministeria exercenda accipiant, quum tamen hanc non *eamdem* omnino omnes ordinatione consequantur, sed *maiorem minoremve*, sacram quamdam *hierarchiam* seu principatum constituunt (12). Quare iam docet *Catechismus Concilii Tridentini* (13) : « Quum itaque in hoc ministerio multi sint gradus, variae functiones, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata, recte et commode ordinis nomen ei impositum videtur ». *Hierarchici* autem ii dicuntur *ordines*, qui certe nituntur iure divino et divinae sunt institutionis, quique soli conferuntur per impositionem manuum. Sunt autem *episcopatus*, *presbyteratus* et *diaconatus*. Hierarchici proinde ordines strictius sumuntur quam *sacri* (14). Excluditur

(11) Constit. Sixti V « Sanctum », 5 ian. 1589; Gasparri, *De s. ordin.*, n. 1014 ; Wernz, II, 15, contra Reiffenstuel, I, 11. 16, et Fagnanum in c. 11, I, 14, 4. Nota autem cum Wernz, l. c. (20), non solum tonsuram certissime non inniti iure divino, sed etiam non solide asseri eam esse institutionis apostolicae. Et hinc est, quod Rufinus, o. c., pag. 83 in initio, haec habet : « Dicit in hoc capitulo quod sacerdos et diaconus, si pertinaces in ebrietate fuerint, damnari debent h. e. deponi ; lector autem et cantor et laicus debent communione privari. Sed numquid lector non similiter deponi ? Sed sciendum est quod in primitiva ecclesia, quando canones apostolorum, qui hoc statuunt, conditi sunt, nulli reputabantur ordines, nisi presbyteratus et diaconatus ; lectoratus autem et alii huiusmodi non ordines, sed officia quedam et ministeria erant. Non enim ab episcopo cum sollempnitate qua hodie traduntur tum conferebantur, sed dumtaxat prima iussione episcopi vel forte minoris sacerdotis gerebantur, sicut nunc psalmiste cantandi officium suscipiunt : et ideo eorum amissio, depositio tunc non erat ».

(12) Cfr. *Catech. Conc. Trid.*, p. II, c. 7, n. 21 ; et nota, *laicos* quoque aliquando dictos esse ad hierarchiam pertinere, et ecclesiasticis ordinibus fuisse annumeratos. Tunc hierarchiae nomen latiori sensu usurpatum est, quatenus indicat totam Ecclesiam, imo non eos tantum, qui actu sunt membra Ecclesiae, sed eos quoque, qui membra Ecclesiae nondum actu sed desiderio tantum sunt. Et sic intelligendus est Eusebius, *Dem. Evang.*, VII, 1 (M. P. G., XXII, 510), distinguens tres gradus ordinum hierarchicorum nempe *praefectos*, *baptizatos* et *catechumenos* («... ternos videlicet per singulas ecclesias ordines, unum quidem eorum qui praesint, duos autem eorum qui subeicti sint, cum Ecclesiae Christi populus in duos ordines sit divisus, in eorum qui credunt et eorum qui nondum ad lavacri regenerationem assumpti sunt»); et S. Hieronymus, *in caput* 19 *Isaiae* (M. P. L., XXIV, 185-186), quinque huiusmodi gradus enumerans, videlicet *episcopos*, *presbyteros*, *diaconos*, *fideles et catechumenos*.

(13) Loc. cit., n. 20.

(14) Nota, *sacros* omnes ordines recte dici sensu quodam generaliori, quum et potestatem quamdam sacram omnes conferant, et per sacramenti collationem vel saltem per aliquod sacramentale conferantur omnes. Sed pressiore significatione ii tantum *sacri* dicuntur, qui ad ministerium altaris propius accedunt, et quibus imposita est lex caelibatus.

enim ab eorum censu *subdiaconatus*, qui tamen nunc ordo sacer est (15).

4. § 3. Pro duplici autem potestate, ordinis et iurisdictionis, duplex hierarchia distinguitur, alia *ordinis*, alia *iurisdictionis*. De diversa hac hierarchia loquitur paragraphus haec tertia, et docet :

Ex divina institutione, — proinde iure ipso divino, non humano tantum (16), — ***sacra hierarchia ratione ordinis constat episcopis ;*** — *episcopis* in primis, qui sunt sacerdotes primi ordinis, presbyteris ipsis superiores, ut iam, ad primitivam Ecclesiam quod attinet, constat multis Patrum attestationibus (17) et doctrina catholica vindicata seculo IV contra Aërium ab AUGUSTINO (18) et EPIPHANIO (19), et se-

(15) *Subdiaconatus* in Ecclesia orientali etiam nunc non apud omnes ritus annumeratur inter ordines sacros et maiores, sed in aliquibus consideratur potius tamquam ordo minor et non sacer. Etiam in Ecclesia latina olim minoribus ordinibus accensebatur (c. 4 dist. 60) ; nunc est ordo maior et sacer. Cfr. c. 9 X. (I. 14) ; c. 7 X. (I. 18). Ratio huius immutationis non exinde tantum desumenda est, quod subdiaconis lex caelibatus fuerit imposita (imposita enim fuit seculo V aetate Leonis Magni, et nonnisi postea, forte aetate Urbani II seculo XI, ordo maior est habitus), sed et quia paullatim propius ad servitium altaris accesserunt subdiaconi, et quia subdiaconum in episcopum eligi posse statutum est ab Urbano II. Cfr. capita Decr. cit. ; BALLERINI-PALMIERI, V, 884 ; WERNZ, II, 20.

(16) Idque pertinet ad fidem contra haereticos seculi XVI, qui Ecclesiae hierarchiam utramque destruxerunt, et cum ea eiusdem Ecclesiae apostolicitatem, consistentem in serie numquam interrupta pastorum ; imo et Ecclesiae docentis infallibilitatem et indefectibilitatem. « Sicut enim admissa hierarchia, quae divinae sit originis », ait HURTER, *Theol. dogm. comp.*, III, 549, « praevalet in Ecclesia vis synthetica, ideoque unitas ; ita, ea abiecta, invalescit analysis, idest dissolutio et hinc corruptio, ut probat protestantium historia ».

(17) Cfr. S. IGNATIUM, *ad Philadelph.*, n. 4 (M. P. G., V, 699) : « Studeatis igitur una eucharistia uti ; una enim est caro D. N. Iesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis conservis meis »; et similiter *ad Smyrn.*, n. 8 : « Omnes episcopum sequimini ut Iesus Christus Patrem, et presbyteros ut Apostolos ». Et TERTULLIANUM, qui *De bapt.*, c. 10, (M. P. L., I, 1218) ait : « Dandi quidem baptismum ius habet summus sacerdos, qui est episcopus : dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate ».

(18) *De haeres.*, qu. 53. (M, P. L., XLII, 39).

(19) *Advers. haeres.*, haer. 75, n. 4 (M. P. G., XLII, 507) : « Enim vero totum illud (Aërii dogma) stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspiciet, velut quum episcopum et presbyterum adeaquare conatur. Hoc enim constare qui potest ? Siquidem episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet : huius est enim patrum in Ecclesia propagatio. Alter, quum patres non possit, filios Ecclesiae regenerationis

culo XVI a Concilio Tridentino (20) contra illius aetatis haereticos.

5. ***presbyteris,*** — qui alterum ab episcopis locum tenent (21), et iam ab aetate apostolica multis fungebantur officiis, praesertim conficiendi et dispensandi eucharistiam, concionandi, etc., at nonnisi episcopo absente vel committente (22),

6. ***et ministris.***. — Sunt autem haec ipsissima verba, quibus canonem suum sextum de sacramento ordinis effert Concilium Tridentinum dicens: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit ». Quibus verbis omnes post presbyteros clerici comprehenduntur.

In primis vero *diaconi* (23), in tertio scilicet sacerdotio constituti, secundum modum loquendi OPTATI (24), qui aliquando etiam « sacerdotes » appellati sunt (25). De horum muniis, praerogativis, aetate, etc. alibi in Codice agitur.

Post diaconos veniunt *subdiaconi* seu graece *hypodiaconi*; post eos *clerici inferiores*, qui diversis in locis diversaque aetate

---

lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis? Verum Aërium istum nimia quaedam procacitas aemulatioque decepit ».

(20) Sess. XXIII, c. 4 et cann. 6, 7.

(21) *Presbyteri*, idest etymologice « seniores » vel etiam « venerandi » ex HOMERO, cui frequens est πρέσβα θεά, quod nomen in antiqua Ecclesia non tantum fuit proprium sacerdotum secundi ordinis, quam commune sacerdotibus omnibus. Cfr. CRYSOSTOMUM, *Hom. I in epist. ad Philipp.*, I (M. P. G., LXII, 183). Imo forte etiam ipsi apostoli hoc nomen non respuerunt, ut IOANNES fecisse videtur in *Epistola* sua ad Electam dominam « Senior (ὁ πρεσβύτερος) Electae dominae ». Sacerdotes autem secundi ordinis numquam forte dicti sunt episcopi.

(22) Cfr. S. IGNATIUM, *Epist. ad Smyrnaeos*, § 8 (M. P. G., V, 714).

(23) Ex hoc autem canone Tridentino patet, saltem diaconatum esse institutionis *certo* divinae (cfr. PALMIERI, *De Rom. Pont.*, pag. 93 sqq.). Saepe commemorantur diaconi in Scripturis (Cfr. *Phil.*, I, 1; *I Tim.*, III, 8 sqq.) eorumque meminerunt etiam Patres Apostolici, ut S. CLEMENS, *Epist. I ad Cor.*, c. 42 (M. P. G., I, 291); S. IGNATIUS, *Epist. ad Magnes.*, c. 2 (M. P. G., V. 663); *Epist ad Trallianos*, c. 3 (M. P. G., V, 678).

(24) *De schism. Donatist.*, lib. I, 13 (M. P. L, XI, 909).

(25) AUGUSTINUS, *Epist.* 74 (apud M. P. L., XXXIII, 250), quam dedit « Domino beatissimo et merito venerando fratri et consacerdoti Praesidio », qui ex epistola HIERONYMI (*Epist.* 39 inter epistolas Augustini apud M. P. L., XXXIII, 154) videtur vere fuisse tantum *di aconus*, ostendit diaconis aliquando nomen « sacerdotum » datum.

varii inveniuntur (26). De his omnibus singillatim dicere ad meum propositum non spectat (27). Quare dicta sufficiant.

7. ratione iurisdictionis, pontificatu supremo. — PASSAGLIA (28) explicans illam formulam « et ego dabo tibi claves regni caelorum » (29) dicit : « Formulae igitur : καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν ad unum Petrum directae huc sensus redit : efficiam ut tu prae ceteris unus consors mecum sis ac illius supremae auctoritatis particeps,

---

(26) Hos inferiores ordines non apostolicae sed *ecclesiasticae* institutionis esse, communis est doctrina ; nec certus aliquis eorum numerus habitus est in primitiva Ecclesia, nec ubique eodem tempore instituti sunt. Iis qui ad inferiora haec officia eligebantur, officio suo renuntiare et ad mere secularem vitam redire prohibitum esse testes sunt Conc. Chalced., c. 7, Conc. Tur. I, c. 5, Conc. Tribur., c. 27. Praecipuus eorum usus in primitiva Ecclesia fuit, ut essent quoddam seminarium hierarchiae. Nomina autem horum officiorum in variis ecclesiis constitutorum sunt non solum *diaconi*, *lectores* et *cantores*, quorum meminit *Canon Apost.* 68, sed etiam *hypodiaconi* (cfr. CYPRIANUM, *epist.* 2, 14, 24, 28, 40, 42, 79, 80, M. P. L., IV), *acolythi* (cfr. CYPRIANUM, *epist.* 28, 36, 49, 55, 78, 79, 80; commemorantur primo a S. CORNELIO, *epist.* citata *ad Fabianum Antiochenum*, *a.* 251), *exorcistae* (exorcistatus tamen ab initio non videtur fuisse peculiaris ordo: cfr. Const. Apost. c. 26: ἐπορκιστὴς οὗ χειροτονεῖται exorcista non ordinatur ; attamen CORNELIUS PAPA, qui vixit ante auctorem Constitutionum, de Ecclesia Romana, contrarium dicit apud EUSEBIUM, VI, 43 ; et nota hic exorcistatum ordinem non esse confundendum cum gratia gratis data seu cum charismate, quo fidelibus plerisque, praesertim primis Ecclesiae temporibus, datum est expellere daemones a corporibus obsessorum : quod charisma laici quoque, imo etiam feminae habuerunt ; tribus primis seculis exorcistatus officio fungebantur episcopi et presbyteri, extremo seculo tertio peculiarem ordinem exorcistae constituebant in plerisque ecclesiis : cfr. Conc. Antiochenum, anno circ. 341), *lectores* (cfr. supra CYPRIANUM communicantem cum suis se fecisse lectorem Saturum ; de eo mentionem facit etiam IUSTINUS, *Apol.* I, c. 67 (M. P. G., VI, 429) et TERTULLIANUS, *De praescript.*, c. 41 (M. P. L., II, 57) qui eum enumerat inter « ordinationes et ordines » : sequioribus seculis communissima est mentio lectorum), *ostiarii* (de quibus in CYPRIANO et TERTULLIANO nulla adhuc mentio, quamvis ea fiat a CORNELIO coaetaneo quod ad Ecclesiam Romanam apud EUSEBIUM, l. c.), *psalmistae* seu *cantores* (quos unum ordinem fecisse cum lectoribus dicit BELLARMINUS, *De clericis*, I, 11), *copiatae*, seu *fossarii* (qui curam agebant de mortuis : cfr. EPIPHAN., *Expos. fidei*, n. 21 ; M. P. G., XLII, 826)). Nota hic in *Ecclesia orientali* duos tantum nunc haberi ordines minores, qui ut tales conferuntur. Sunt autem *lectoratus* et *subdiaconatus*, in quo ultimo tamen implicite continentur ostiariatus et acolythatus. Hinc exorcistatus vere deest ; et ex hoc factum est, ut BENEDICTUS XIV, Constit. « Etsi pastoralis » 26 maii 1742, solum iusserit exorcistatum conferri subdiacono ritus graeci, qui transiens ad ritum latinum ad diaconatum erat promovendus. Cfr. DEVOTI, *Ius can. un.*, I, 10, 10 ; WERNZ, II, 17. Maronitae habent quatuor nostros ordines minores.

(27) Adeas, si vis, BELLARMINUM, l. c., cc. 11-14 ; SELVAGGI, *Antiquit. christian. institut.*, 1. I, p. 2, c. 3.

(28) *De praerogat. B. Petri*, II, 115.

(29) MATTH., XVI, 19.

qua meam Ecclesiam tempero atque administro : ut tu prae ceteris unus meas in caelesti Ecclesiae regno vices expleas : ut tu tum reliquorum omnium, tum ipsorum etiam apostolorum sis ἀρχηγός, atque in te apostolatus principatus cuilibet episcopatui praeferendus emicet, primatusque apostolorum excellenti gratia praeemineat ». Et vere non pauca in evangeliis referuntur, quae Christus Petro contulit, aliis apostolis denegavit, nihil quod aliis contulerit, non autem Petro ; multa praeterea sunt, quae ipsum probant aliis antepositum et destinatum supremae Ecclesiae caput (30). Ipsi enim, praeter alia multa, dictum est, et quidem magno apparatu magnaque solemnitate : « pasce agnos meos, pasce oves meas ». His autem verbis, quae ipsi personaliter, non collective sed *individualiter*, directa sunt (31), praeter illud totum quod datum est collective cum apostolis et ad munus auctoritatemque apostolatus pertinebat, praesertim potestatem ligandi et solvendi in regno suo omnia quae ad eiusdem regni scopum et naturam pertinebant (32), nobilior certe et potior dignitas collata est, dignitas scilicet pastoris totius universi gregis.

Id nobis testatur universa traditio (33), id etiam textus nostri exegesis. Nam singulari potestati Petro factae singula-

(30) Passaglia, op. nuper cit., I, 57.
(31) Io., XXI, 15 sqq.
(32) Matth., XXVIII, 18-20.
(33) Sufficiat hic afferre Ambrosium, *in Luc.*, X, 175 (M. P. L., XV, 1848) : « Non est (igitur) dubium credidisse Petrum, et credidisse quia dilexit, dilexisse quia credidit. Unde et contristatur quia et tertio interrogatur : Amas me? Is enim interrogatur, de quo dubitatur ; sed Dominus non dubitat, qui interrogat non ut disceret sed ut doceret quem, elevandus in caelum amoris sui, velut vicarium relinquebat. Sic enim habet : Simon Ioannis diligis me? Utique tu scis, Domine, quia amo te. Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos. Bene conscius sui non ad tempus assumptum, sed iamdudum Deo cognitum Petrus testificatur affectum. Quis est enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit ? Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur : maior enim omnibus charitas. Illud quoque diligentius intuendum, cur quum Dominus dixerit : Diligis me ? ille responderit : Tu scis, Domine, quia amo te. In quo videtur mihi, dilectio habere animi charitatem, amor quemdam aestum conceptum corporis ac mentis ardore, et Petrum opinor non solum animi sed etiam corporis sui circa Dei cultum signare flagrantiam. Denique tertio Dominus non iam : Diligis me ? sed : Amas me ? interrogavit : et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret ». Cfr. etiam sis Tertullianum, *De praescript.* c. 22; *De pudicit.*, c. 21 (M. P. L., II, 1023) ; Origenem, *In Matth.*, XI, 21 (M. P. G., XIII, 1031) ; Basilium, *Prooemium de iudic. Dei*, n. 7 (M. P. G., XXXI, 667); Caesarium, *Dialog.* 4, n. 194 (M. P. G., XXXIII, 1179); Chrysostomum, *In Matth.*, hom. 54, n. 2 (M. P. G., LVIII, 533) ; Hilarium, *In Matth.*, c. XVI, 7 (M. P. L., IX, 1009) ; etc.

ris quoque praecedit confessio, quam nobis describit MATTH., XVI, 13 sqq. : « Dicit illis Iesus : Vos autem quem me esse dicitis ? Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei vivi ». Huic confessioni respondet promissio Christi dicentis : « Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... et tibi dabo claves regni caelorum etc. ». Quam promissionem liberat Christus quum, Io., XXI, 15 sqq. dicit Petro : « Pasce agnos meos... pasce oves meas ». Ergo his verbis Petro collata vere est singularis potestas quod ad regimen Ecclesiae, quae nemini alii a Petro collata est.

Quae omnia ex parallelismo quoque confirmantur, quod ex Scripturis desumptum illustrat PASSAGLIA, Petri cum Abraham (34) et Iuda (35).

---

(34) *De praerog. B. Petri*, I, 32: « Quae si uno oculorum obtutu in unam redacta summam comprehendantur, id sane efficient ut genuina potius, quam similis οἰκονομία Dei cum Abrahamo et Petro videatur. Conveniunt enim prima, conveniunt media, conveniunt ultima. Uterque vocatus vocantem sequitur : utrique novum idemque fatidicum nomen promittitur, promissumque confertur : eximia fidei caritatisque specimina ab utroque postulantur : neuter sibi deest, atque adeo neuter uberiori praemio fraudatur ; explicatur Abrahamo propheticum nomen, explicatur et Petro : intelligit Abrahamus suam in patrem omnium gentium destinationem, intelligit et Petrus se universae Ecclesiae petram praestitui : beatus dicitur Abrahamus, dicitur et Petrus : revelatur Abrahamo, neminem nisi ex ipso et per ipsum caelestis benedictionis fore participem, revelatur et Petro omnes ex ipso et per ipsum firmitatem stabilitatemque consecuturos : posteritas nequit sibi nisi per Abrahamum victoriam de hostibus polliceri, et neque Ecclesia de portis inferni nisi per Petrum triumphum aget : denique si Abrahamus, utpote credentium praeceptor institutus, singulari cura divinitus edocetur, singulari item cura eruditur Petrus, quem Christus universitati fidelium magistrum institutoremque praefecit ».

(35) Op. nuper cit., I, 326, ubi, postquam annotavit nec tribus, nec eorum capita fuisse aequalia, etsi communi nomine appellarentur, addit: « Tribus enim ab Iuda nuncupata mirum quantopere prae undecim reliquis eminuerit... ex illa opperiendum semen erat, quo in gentes omnes duodecim tribubus praesignatas benedictio refunderetur : et cum illa cohaerere, illiusque reliquae tribus profiteri religionem debebant, ne schismaticae et a divino foedere extorres haberentur. Unde Iacobus fatidico numine plenus Iudam illius caput stipitemque his omnino verbis allocutus est : Tu vere es Iuda, laus nimirum, planeque dignissimus, qui lauderis : te enim laudabunt fratres tui: manus tua in cervice hostium tuorum, quos vinces debellabisque : adorabunt te, teque honore prosequentur filii patris tui. Quibus sane accomodatius nihil, nihilque validius, quo Iudae prae undecim fratribus, tribuumque principibus singularis dignitas, eximiaque auctoritas commendatur. Igitur ne a typo antitypus dissideret, ne imago a supremis lineis discreparet, ne ab umbra corpus discederet, necessarium fuit unum e duodecim apostolis deligi qui propriis auctus promissionibus, propriisque donis cumulatus ceteris omnibus praestaret, et ab undecim veluti primogenitus dux atque caput observaretur. Hunc autem quemnam fuisse putabimus ? Non alterum profecto ab eo, quem

Haec autem singularis potestas Petro facta, quamvis individualis fuerit et personalis quod ad alios Apostolos, non ita tamen fuit personalis ut non deberet in successores propagari. Quod quidem pluribus patet : nam Ecclesia fundata est super Petrum, quod fundamentum validissimum est, quia portae inferi *numquam* praevalebunt, debet igitur esse fundamentum *perpetuo* mansurum ; Christus commisit Petro claves regni sui seu supremam potestatem Ecclesiae regendae, quae *usque ad ultimum* regi debebit : nemo autem alius potest esse qui regat, nisi Petrus ; Christus statuit Petrum pastorem supremum, amoris sui vicarium, ut dicebat Ambrosius, qui pasceret suum gregem usque ad finem mansurum et proinde usque ad finem pascendum. Quare, quemadmodum missio docendi omnes gentes collata fuit Apostolis *iuridice* consideratis, ita etiam munus Primatis seu supremi Pastoris collatum fuit Petro *iuridice* considerato.

Et haec semper fuit doctrina Ecclesiae (36), non solum scilicet in ea haberi debere quemdam successorem Petri in primatu (37), sed eum esse episcopum Romanae Sedis (38).

Scripturae a reliquis tanta cura secernunt, illisque anteponunt : quem uti omnium κορυφαῖον constanter describunt : cui Christus dixit : μακάριος εἶ, Σίμον βὰρ Ἰωνᾶ, super quem Ecclesiam suam aedificavit, quemque τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα constituit, cui aeternam firmitatem certissimamque de hostibus victoriam spopondit, inquiens καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς : quem universo ovili praeposuit, eoque apostolatus principatu locupletavit, qui cuilibet episcopatui praeferri debet ».

(36) Hinc merito docet Concilium Vaticanum, sess. IV, cap. 2° : « Quod enim in B. Apostolo Petro Princeps pastorum et pastor magnus ovium Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia... iugiter durare necesse est ».

(37) Proinde iam Ambrosius, *In ps.* 40, n. 3 (Migne, P. L., XIV, c. 1082), dicebat : « Ubi Petrus, ibi Ecclesia », quia Ecclesia in Petro fundatur, nec potest aedificium consistere sine fundamento. Petrus autem eo tempore erat vel Damasus, vel Siricius, vel probabilius Athanasius. Cfr. etiam Leonem M., *Serm.* 3, c. 3 (M. P. L., LIV, 146) : « Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit ».

(38) Sufficiat ad hoc afferre Florentinam Synodum affirmantem : « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse » ; quae definitio repetita et confirmata est a Concilio Vaticano, sess. IV, c. 3. Concordat Bernardus, scribens ad Innocentium II (*Epistola* 198, seu *quadem capitula errorum Abaelardi* in praefatione : M. P. L., CLXXXII, 1053, 1054) : « Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt. Dignum

8. *et episcopatu subordinato.* — Scilicet Christus verus et supremus pastor Ecclesiae non solum Petrum instituit in ea et pro ea vicarium amoris sui, ut iam dicebamus, eique totum gregem, oves et agnos, pascendos commisit ; sed et *apostolos* creavit, quos multis auxit donis iisque commisit munus legati sui, munus doctoris et testis in Ecclesia, munus praeterea regni sui regendi et sacri ministerii in eo exercendi. Ad haec autem habuerunt apostoli praerogativam immediatae missionis (39), auctoritatis apostolicae (40), infallibilitatis in rebus fidei et morum (41). Quae omnes sunt praerogativae et munera apostolatus, excepto tamen munere regendi et ministerii exercendi, quae non ita instituta sunt nec institui poterant, ut ab apostolis tantum exercerentur, sed ita ut *pe-*

---

namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe huius praerogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Id quidem modo (erant tempora Abelardi) necessarium. Tempus est ut vestrum agnoscatis, pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, cuius tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmetis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores ».

(39) *Galat.*, I, 1 : « Paulus Apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis ».

(40) Scilicet amplissimae nullisque circumscriptae limitibus tum *quod ad locum* (« Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » : Io., XX, 21 ; « Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae » : Marc., XVI, 15 ; « Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae » : *Act.*, I, 8) ; cum *quod ad personas*, quum apostolus quilibet missus fuerit indeterminate ad omnes homines et quod ad omnes posset exercere iurisdictionem (ut patet ex ipsa apostolorum agendi ratione) ; cum *quod ad obiecti extensionem*, quae continet potestatem docendi (« Praedicate evangelium omni creaturae » : Marc.,; XVI, 15; Matth., XXVIII, 19), potestatem ligandi et solvendi (« Amen dico vobis : quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo » : Matth., XVIII, 18), nec non potestatem ministerii exercendi et propagandi (« Et quum constituissent [Paulus et Barnabas] illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino » : *Act.*, XIV, 22 ; « Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi » : *Tit.*, I, 5).

(41) « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis » : Io., XIV, 16 sq. « Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis » : Io., XIV, 26. « Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis » : Io., XV, 26. 27. « Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » : Io., XVI, 13.

renni successione in Ecclesia continuarentur (42). Nam Paraclitus, pro quo Christus rogavit Patrem, debet cum illis manere *in aeternum* (43), quemadmodum panis et calix a fidelibus manducandus est et bibendus quoadusque ipse Dominus secundo veniat (44) ; quia scilicet usque ad seculi consummationem et servanda est unitas fidei, ad quam necessarius est Paraclitus Spiritus veritatis, quo rectores Ecclesiae illustrentur (45), et caelesti pabulo nutriendi sunt fideles ut in vitam alantur aeternam.

Hinc iam ab apostolis *episcopi* constituti sunt, qui eorum locum tenerent (46) iisque certo quodam modo (47) succederent (48). Hi etsi ab initio « apostoli » quoque fuerunt dicti (49),

---

(42) Quare bene Theophylactus, *Comm. in Matth.*, XXVIII, 20 (M. P. G., CXXIII, 486) : « Non solum autem hoc (et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi) apostolis est pollicitus, quod cum ipsis sit, sed simpliciter discipulis suis omnibus. Neque enim apostoli usque ad finem mundi victuri erant : unde et nobis, et his qui post nos erunt, promisit hoc : non quod usque ad consummationem praesens, post consummationem mundi abfuturus sit, absit. Tunc enim magis nobis aderit, et clarius et mundius. Nam ubi *donec* vel *usque* in Scriptura invenitur, non adimit quod posterius. Quocirca gratias agamus Domino qui et nunc nobiscum est et omne bonum suppeditat, et iterum nobiscum erit perfectius post consummationem ».

(43) Io., XIV, 16.

(44) *I Cor.*, XI, 26.

(45) Hinc Cyprianus, *Epist.* 42 *ad Cornel.* (M. P. L., III, 140) : « Hoc vel maxime et laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus, et, quod in nobis est, palabundas et errantes oves, quas quorumdam pervicax factio et haereticorum tentatio a matre secernit, in ecclesiam colligamus ».

(46) « Apud nos apostolorum locum episcopi tenent » (Hieronymus, *Epist.* 41 *ad Marcellam*, n. 3 : M. P. L., XXII, 476) ; « Horum [apostolorum] profecto nunc in Ecclesia locum episcopi tenent » (Gregorius M., *Homil.* 26 *in Evang.*, n. 5 : M. P. L., LXXVI, 1200).

(47) Ait Passaglia, *De Eccl. Christi*, III, 289 : « Neminem facile praeterit... episcopis duplicem veluti successionem auctoritatemque convenire : et in primis successionem auctoritatemque convenire limitibus proprii gregis circumscriptam, quatenus nimirum ipsi in se atque absolute considerantur : tum vero eisdem convenire successionem auctoritatemque universalem, quatenus ipsi *uti partes* habentur unius indivisi episcopatus, qui ex illis prodit atque componitur ».

(48) Quare optimo iure Tridentinum docuit, sess. XXIII, 4 : « Praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, *qui in apostolorum locum successerunt*, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei ». Cfr. etiam Concilium Vaticanum, sess. 4 (Denzinger-Bannwart, 1821).

(49) Cfr. Pacianum, *Epist.* 1 *ad Sempron.*, n. 6 (M. P. L., XIII, 1057); Theodoretum, *Comm. in ep. ad Philipp.*, I, 1 (M. P. G. LXXXII, 559). Praeter has duas appellationes honorificas, « apostoli », « apostolorum successores », episcopi dicti etiam sunt « principes ecclesiae » seu ἄρχοντες

non tamen eamdem ac apostoli potestatem sortiti sunt, sed diminutam, eo scilicet sensu, quod non successerint in praerogativis apostolatus propriis, sed unice in potestate ordinaria regendi fideles eosque sanctificandi. Nam, ut dicit PAULUS, *Eph.*, IV, 11 sq. : « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores », et *I Cor.*, XII, 28 : « Et ipse Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » ; ubi apostoli sedulo distinguuntur a pastoribus, quibus semper praeponuntur. Apostolos, prophetas et evangelistas, prout specialia munera significantur, duraturos non fore, sed mansuros in aevum pastores et doctores in Ecclesia seu episcopos « qui portionem gregis Christi ordinaria potestate, insita (50) nempe proprio officio, regant ; ita ut utrumque ad Christi institutionem spectet, et Ecclesiam regi ab episcopis, et regi ab episcopis iurisdictionem habentibus singillatim in partes ovilis Christi » (51).

Ex quibus patet illum esse habitum inter Ecclesiam et ministerium, ut in Ecclesia sint ii qui illuminant et qui illumi-

---

ἐκκλησιῶν (ita EUSEBIUS, ORIGENES, CHRYSOSTOMUS, etc.), « praepositi », « antistites », προεστῶτες, προέδροι, ἔφοροι (ita CYPRIANUS, TERTULLIANUS, EUSEBIUS, IUSTINUS M.), « angeli ecclesiae » (cfr. *Apoc.*, I, 20), etc. Ex alia parte notandum est in prima Ecclesia, quemadmodum apostoli ipsi se aliquando dixerunt πρεσβύτεροι (I PETR,. V, 1 ; II Io., I, 1 ; III Io., I, 1), imo et διάκονοι (*I Cor.*, III, 5 ; *II Cor.*, III, 6) ; ita etiam episcopis haec nomina aliquando data fuisse (*Col.*, IV, 7 ; *Thess.*, III, 2). Quod non est mirum, si verum est PAULUM etiam de Iunia muliere dixisse, *Rom.* XVI, 7: οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, sed Origenes de viro (Ἰουνίαν enim potest simul esse accusativus casus nominis feminini et masculini generis) ibi agi putat, quamvis plures contrarium dicant.

(50) « Insita », idest tali, sine qua officium ne concipi quidem possit, non extrinsecus officio, etiam iure addita, quae esset potestas delegata a iure.

(51) Haec tamen iurisdictio ex institutione Christi non adeo determinata est, ut certi sint omnino et definiti limites, intra quos *iure divino* consistat ; sed Romanus Pontifex, potest eam et quod ad territorium et quod ad personas et quod ad ipsas causas sive augere sive imminuere. Exemplo sit exemptio personarum, in territorio alicuius episcopi degentium, ab eius iurisdictione (cfr. c. 615 sqq.), facultas episcopis facta a Tridentino (sess. XXIV, c. 6 *de ref.*) dispensandi super irregularitatibus quibusdam, etc. Exinde tamen non est deducendum, posse Romanum Pontificem ita episcoporum iurisdictionem coarctare, ut hi in praxi non sint nisi vicarii Papae ; iuris enim divini est, episcopos in Ecclesia esse pastores, eosque habere ordinariam et immediatam iurisdictionem in particulares ecclesias ipsis commissas.

nantur, qui perficiunt et qui perficiuntur (52). Ex quo exsurgit species illa ac forma caritatis socialis, quae « quemadmodum divelli nequit ab idea subordinationis, quae alios in Ecclesia sistit praesides et alios obnoxios ; ita penitissime cohaeret cum idea *societatis inaequalis*, in qua alii sunt qui imperant et alii qui obediunt, alii qui regunt et alii qui reguntur, postremo alii qui pascunt et alii qui pastorum nutu gubernantur » (53). Quare optimo iure concludit Ignatius M. (54) : « Cuncti similiter revereantur diaconos ut mandatum Iesu Christi, et episcopum ut Iesum Christum Filium Patris et presbyteros ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur » ; quae, contra, sub episcopo omnium Deo (55) et episcopo invisibili Christo et visibili terreno episcopo in ipso et per ipsum in aevum perseverabit.

Quare, concludendo, etsi Ecclesia sit regale et sanctum sacerdotium (56), et omnes fideles unum sint in Christo Iesu (57), non omnia tamen membra Ecclesiae eumdem actum habent (58) ; sunt qui praeesse, sunt et qui subesse debent.

9. ***ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere.*** — Verba haec evidenter referri unice ad gradus potestatis iurisdictionis, non autem potestatis ordinis palam est ; neque enim censendus est Codex voluisse indirecte et quasi secreto seu clanculum definire quaestionem valde controversam inter catholicos.

Post Romanum Pontificem igitur *iure divino* in hierarchia iurisdictionis non habentur nisi episcopi, qui omnes non solum eamdem habent ratione episcopatus potestatem ordinis,

---

(52) Passaglia, *De Eccl. Christi*, III, 284.

(53) Passaglia, o. c., III, 418. Et hic illud etiam nota, exinde esse quod personae in Ecclesia sub hoc respectu dividuntur in *praelatos* et *subditos*. Quae altera vox quod ad fideles raro quidem, sed tamen aliquando usurpata est a Romanis Pontificibus et episcopis ; et Romani Pontifices in ea usurpanda non respiciebant subditos suos in ditione temporali, sed extra eam subditos in ordine spirituali, in quo verissime fideles subditi sunt et subiecti Romano Pontifici. Generatim tamen Romani Pontifices et episcopi fideles christianos non « subditos » consueverunt appellare, sed « Christifideles ».

(54) *Epist. ad Trallianos*, § 3. (M.P.G., V, 677)

(55) Ita Ignatius, *ad Magnesios*, § 3 (M.P.G., V. 665; cfr. Passaglia, o. c., III, 273).

(56) I Petr., II, 9.

(57) *Gal.* III, 28.

(58) *Rom.*, XII, 4.

sed etiam eamdem obtinent potestatem iurisdictionis, qua omnes aeque constituti sunt pastores ordinarii et immediati suarum plebium. Attamen, quum Romano Pontifici incumbat onus regendi universam Ecclesiam, et hanc potestatem non possit per se tantum exercere, iure factum est, ut pars quaedam pontificiae potestatis aliis delegaretur, qui eam Romani Pontificis vice exercerent. Vi participationis huius potestatis a Romano Pontifice aliquibus episcopis factae, nonnulli sunt episcopi, qui potestate iurisdictionis episcopis aliis antecellunt (59). Hi autem propter maiorem minoremve istius potestatis pontificiae participationem in varios gradus dividuntur. Sunt autem *patriarchae, primates, metropolitae* (60). De his omnibus in sequentibus suis propriis locis. Interim patet iam ex dictis, hanc supra-episcopalem potestatem, quae alicui episcopo competit, niti iure tantum humano (61).

---

(59) Sed nota apud LEONEM M. quomodo hi super alios episcopos potestatem suam exercere debeant : « Abundant enim apud te monitorum scripta nostrorum, quibus te de omnium actionum temperantia frequenter instruximus, ut commendatas tibi Christi ecclesias per exhortationem caritatis ad salubritatem obedientiae provocares. Quia etsi plerumque exsistant inter negligentes vel desides fratres, quae oporteat maiori auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correptio, ut semper sit salva dilectio. Unde et beatus apostolus Paulus, ad ecclesiasticum regimen Timotheum imbuens, dicit : " Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, iuvenes ut fratres, anus ut matres, iuvenculas ut sorores in omni castitate (*I Tim.*, V, 1.2)„. Quae moderatio si quibuscumque inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus et coepiscopis nostris sine offensione reddenda est ? ut licet nonnumquam accidant, quae in sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas. Sed ab iis qui " quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi „ facile ab hac lege disceditur, et dum dominari magis quam consulere subditis placet, honor inflat superbiam, et quod provisum est ad concordiam tendit ad noxam : quod ut necesse habeamus ita dicere, non de parvo animi dolore procedit » (*Epist. ad Anastasium ep. Thessalonicen.*, c. 1 . M. P. L., LIV, 668).

(60) Ne ex dictis inferas, potestatem patriarcharum, etc., non esse potestatem ordinariam sed delegatam. Quamvis enim ea sit participata, non tamen est delegata, in quantum haec ordinariae contrapponitur ; sed ordinaria est, quia committitur vi officii (patriarchalis, etc.), eique propria est, et ipsi cohaeret ipso iure, scilicet vi iuris, quo officium constitutum est. Cfr. B. OJETTI, *De natura potestatis ordinariorum secundum Codicem* (in *Gregorianum*, IV [1925] pp. 436-441).

(61) Quare Romanus Pontifex sine ulla mutatione divinae constitutionis Ecclesiae posset ex toto abolere officium et munus omnium patriarcharum, primatum, metropolitanorum.

CANON 109.

Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.

1. Postquam in superiore canone actum est de exsistentia duplicis hierarchiae in Ecclesia, ordinis et iurisdictionis, pronum est et valde naturale ac logicum hic statim addere quomodo in eam cooptandi admittantur. Quod ut rite fiat, explodendi sunt ante omnia errores, postea astruenda veritas. Ad utrumque autem pauca sunt necessario praemittenda.

Et ante omnia patet, Ecclesiam iure divino potiri liberrima facultate disponendi partes socialis sui corporis, prout eius natura ac finis requirit. Ecclesia enim, ex ipsa divina institutione, societas est independens et perfecta, quae omnibus illis iuribus potitur, quae talibus societatibus competunt. Porro tali societati, perfectae et independenti, ius in primis est, constituendi sibi magistratus, quos vult et prouti vult. Quod ius, ut patet ex dictis, ei competit vi naturae suae et proinde constitutionis suae, constitutionis scilicet illius, quam praestituit divina voluntas sui fundatoris.

Secundo praemittendum est, Ecclesiae magistratus et ministros non a Deo *solo* operatione aut revelatione immediata, ut iam Aaron et Petrus, sed a Deo *per homines* eligi et creari. Id autem facile patet, destructo fundamento contrarii erroris, quem invexit et firmare sategerunt Ioannes Wiclef et Ioannes Huss, qui necessitatem statuebant, ut solum praedestinati regerent Ecclesiam Christi (1).

Quod quantum fuerit incongrue dictum, non solum patet contrario exemplo ipsius Dei (2) et apostolorum (3), et tradi-

---

(1) Errores proscripti sunt in Conc. Constantiensi, sess. 8, damn. art. 8 et 40 I. Wiclef, et sess. 15, damn. art. 22 et 26 I. Huss.

(2) Nam Christus elegit Saulum et Iudam.

(3) Sic apostoli diaconum elegerunt Nicolaum, qui postea fuit haeresiarcha.

tione Patrum (4), sed etiam ipso naturalis rationis ductu. Ita enim ratiocinatur BELLARMINUS (5) : « Si solus Deus eligeret pastores Ecclesiae, aut id faceret sola sua voluntate sine ullo signo externo et visibili, aut certe visibili aliquo signo. Si primum affirmetur : quid nobis eiusmodi electio prodesset ? nunquam enim sciremus quis Ecclesiae esset pastor. Si secundum, aut signum illud esset prodigiosum ac praeter ordinem naturae, ut columba descendens : aut caelestis aliquis fulgor : aut certe loco signi accipiendae essent sortes, quomodo Apostoli, *Act. I*, cupientes s. Mathiam eligi a solo Deo, sortibus usi sunt. At prodigia illa columbae et luminis rarissima esse solent : certe hoc tempore minime ea videmus. Sortibus autem uti, quum humano consilio res transigi potest, nullo modo licet » (6).

Si igitur non a Deo solo magistratus et ministri in Ecclesia creantur, ergo a Deo *per homines* (7) ; et si per homines,

---

(4) Sufficiat unum citare BERNARDUM, *Serm.* 66 *in Canticam*, 11 (M., P. L. CLXXXIII, 1100 : « Iamvero qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum, si ordinibus Ecclesiae detrahunt, si instituta non recipiunt... Peccatores, inquiunt, sunt apostolici, archiepiscopi, episcopi, presbyteri... Numquid duo ista conveniunt : episcopum esse et peccatorem ? Falsum est. Episcopus erat Caiphas: et tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam ? Si neges episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiam prophetasse refert (Io., XI, 51). Apostolus erat Iudas : et licet avarus et sceleratus electus tamen a Domino. An tu de illius apostolatu dubitas, quem Dominus elegit ? Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est ? (Io., VI, 71). Audis eumdem electum apostolum et exstitisse diabolum ; et negas posse esse episcopum, qui peccator est ? Super cathedram Moysi etc ».

(5) *De clericis*, lib. I, c. 5.

(6) Non quod apostoli, *Act.* I, rem illicitam admiserint : nam, relictis aliis explicationibus, quas alii dederunt, apostoli id sortibus reliquerunt, de quo constare non poterat humanis mediis : adeo pares erant Matthias et Barnabas merito vitae et aptitudine ad apostolatum.

(7) Non enim cogitari potest, electionem et constitutionem faciendam a Deo *per angelos*. De hoc enim non solum nullum vestigium est, sed eaedem obvenirent difficultates, quas supra expendimus in hypothesi electionis a Deo solo. Pariter certum est non fieri per carnalem *generationem* ; nam modus iste usitatus in V. T. iam ab ISAIA, c. LXVI, et a PAULO, *Hebr.*, VII, 1 sqq., innuitur reprobatus et exclusus in N. T. Ille enim prophetizans de N. T. (cfr. HIERONYMUM) dicit « assumendos » ex eis a Domino sacerdotes et levitas ; hic dicens de Melchisedech eum esse sine patre, sine genealogia, Christum autem sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, non vero secundum ordinem Aaron, innuit, sacerdotem Novae Legis non secundum legem mandati carnalis fieri, sed secundum sermonem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in aeternum perfectum, qui sub se et post se habet sacerdotes ministeriales, qui et ipsi sint secundum ordinem Melchisedech. Multo autem minus *per seipsum*. Quod aperte iam docuit Paulus, *Hebr.*, V, 4 : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron ».

quinam ii sunt ? Lutherus, Calvinus et alii haeretici dicunt hoc ius esse in tota Ecclesia, in clerum scilicet et populum, non quidem materialiter manus imponentes, sed suffragio suo et electione vocantes novos ministros, quibus nonnulli ex ministris iam ordinatis materialiter manus imponant, tamquam qui universam Ecclesiam repraesentent (8).

At falso haec dicuntur: nam et S. Scripturae (9), et decreta Conciliorum (10), et veteres Patres (11), et universa Ecclesiae praxis (12) contrarium probant (13). Et re quidem vera, omnis potestas in Ecclesia, sive ordinis sive iurisdictionis, apostolis facta est et Petro praesertim : huic dictum est : « tibi dabo claves regni caelorum » ; huic : « pasce agnos meos, pasce oves meas » ; illis : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. » ; multitudini seu populo potestas nulla (14).

---

(8) Qui modus loquendi tolerari adhuc posset, si sensus esset, clerum et populum ordinare ministros *per pastores* iam ordinatos, qui unice id possent ; sed ordinationem ministrorum ascribi toti Ecclesiae in eam consentienti, quemadmodum oculus tantum videt, sed actus visionis ascribitur toti homini. Verum alius est omnino sensus, isque falsus, quia scilicet hi ponunt ita pastores ordinare, ut a clero et populo accipiant auctoritatem, quam imo etiam sine pastoribus exercere possent.

(9) 2 *Tim.*, I, 6 : « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum » ; 1 *Tim.*, IV, 14 : « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii », seu *episcoporum*, ut ex Bellarmino interpretantur Patres, graeci praesertim. Cfr. Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum, etc.

(10) Cfr. Concilium Nicaenum I (a. 325), can. 4 : « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit... tribus tamen omnimodis in id ipsum convenientibus et absentibus quoque pari modo decernentibus, nunc ordinatio celebratur » ; et quod praecesserat Concilium Arelatense I (a. 314) : « De his qui usurpant sibi quod soli debeant episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi praesumat, nisi assumptis secum aliis septem episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare ».

(11) Cfr. canones *de ordinationibus clericorum*, qui olim ascribebantur Concilio cuidam Carthaginiensi IV (a. 398), quod numquam extitisse nunc omnes admittunt. Quidam dicunt eos auctorem habuisse Caesarium episc. Arelatensem qui floruit prima medietate seculi VI. Cfr. etiam S. Epiphanium, *Haer.* 75 (M. P. G., LXII, 509).

(12) Et vere « a seculo non est auditum ut episcopum non episcopus ordinaret ; neque huiusce rei ullum umquam vel institutum ex disciplina, vel exemplum ex historiis, vel etiam usurpatio ex haeretica licentia proferretur » (Bellarminus, *De clericis*, I, 3).

(13) Neque responderi potest id pastores non consequi auctoritate ordinis a populo secum communicata, sed auctoritate iurisdictionis qua ipse praecipit et mandat pastoribus ut hunc vel illum ordinent. Nulla enim in Ecclesia potestas est multitudini seu populo, qui obedire et subiici debet, non praecipere aut iubere.

(14) Cfr. Passaglia, *De Eccl. Christi*, I, 8.

Idque iam inde ab initio intellexerunt apostoli, qui haud raro nullo praehabito consilio populi ministros constituebant. Ita Lystrae, Iconii et Antiochiae, « quum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt » (15). Ita ad hoc Apostolus reliquit Titum Cretae, ut « constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi » (16). Quae ministrorum constitutio in Ecclesia facienda est a Deo, utique per homines, ut diximus, auctore Paulo, *Hebr.*, V, 4, ad imaginem et similitudinem Aaron, et innuitur ab Apostolo eam sine ullo consensu aut consilio populi faciendam, quia Aaron a Moyse, eoque solo, supremi ordinis sacerdos constitutus est.

Quod autem a Paulo innuitur, id probatur verbis Christi relatis a Ioanne, XX, 21 : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Scilicet non solum pari cum potestate, sed etiam simili modo missionis, independenter scilicet a quacumque alia potestate. Id autem logice consequitur ex tota oeconomia Ecclesiae. Secundum eam enim ministri sunt pastores, qui, intra limites unusquisque auctoritatis sibi factae, pascere debet gregem Christi ; oves autem et agni sunt grex Christi. Porro oves non eligunt pastores ; sed iis electis subduntur et subiiciuntur.

Hinc iure merito contrarias affrmationes haereticorum et aulicorum canonistarum Ecclesia iamdiu proscripsit, et hic in canone praesenti sancivit :

2. ***Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione alleguntur.*** — Iam Conc. Constantinopolitanum IV (sec. viii, a. 867-72), can. 12, dicit : « Apostolicis et synodicis canonibus promotiones et consecrationes episcoporum et potentia et praeceptione principum factas penitus interdicentibus, concordantes definimus et sententiam nos quoque proferimus, ut, si quis episcopus per versutiam vel tyrannidem principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, utpote qui non ex voluntate Dei et ritu ac decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus ex homi-

(15) *Act.*, XIV, 22.
(16) *Tit.*, I, 5.

nibus et per homines Dei donum possidere voluit vel consensit ».

Hoc autem decretum renovatum est in Tridentino, sess. XXIII, c. 4 : « Docet insuper sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum nec populi nec cuiusvis secularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut seculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt ; omnes non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse ». Et in respondente can. 6. : « Si quis dixerit... ordines ab ipsis episcopis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione irritos esse ; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit » (17).

Hinc etiam Pius IX, Encyclica «Quod numquam» ad Episcopos Borussiae 5 febr. 1875, edixit : « Partes nostri muneris implendas intendimus per hasce litteras aperta testatione denuntiantes omnibus, ad quos ea res pertinet, et universo catholico orbi, leges illas irritas esse, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni prorsus adversantur. Non enim potentes huius seculi praefecit Dominus sacrorum antistitibus in iis, quae ad sanctum ministerium attinent ; sed beatum Petrum, cui non modo agnos sed et oves suas pascendas commendavit ; proindeque a nulla, quantumvis sublimi seculi potestate, episcopali officio privari possunt ii, — quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ».

3. ***sed in gradibus ordinis constituuntur sacra ordinatione,*** — scilicet ritu illo externo, quo quis in clerum admissus ad ordines sive minores sive maiores promovetur.

---

(17) Hinc consequenter damnatae sunt in *Syllabo* Pii IX propositiones sequentes : « 50. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant. 51. Imo laicum gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem ».

Qui externus ritus, quamvis forte non in omnibus ordinibus ad sacramenti dignitatem pertingat, dogma tamen fidei est (18), in aliquibus saltem ad hoc pertingere, ut Patres (19) et theologi docent, consentiente Ecclesia latina et orientali.

4. ***in supremo pontificatu, ipsomet iure divino.*** — Nam, rectissime ratiocinatur PALMIERI (20): « Ius est divinum, ut sit semper primatus in Ecclesia : sive ut sit semper aliqua persona, quae iure divino debet esse, et est, primas in Ecclesia. Determinata autem per conditionem persona, haec sola, ceteris exclusis, eodem ipsa iure primatum obtinet in Ecclesia ; obtinet enim, quia Christus vult esse primatum. Quemadmodum lex est naturae oportere in societate esse auctoritatem, quae regat, ideoque aliquem aut aliquos qui ea potiantur : quem penes vero illa sit, id determinationi permittitur vel hominum vel facti alicuius... Scilicet ius, quo aliquid obtinetur, eiusdem est generis ac illud, quo aliquid obtinendum esse decernit. Adverte tandem, quoniam conditio ut quis Petro succedat, est... episcopatus Romanus, aliud esse quaerere quaenam sit conditio ut aliquis Petri successor exsistat ; aliud quaerere quaenam sit conditio ut hic vel ille sit episcopus Romanus. Priori quaestioni respondemus eam esse episcopatum Romanum, ideoque solos episcopos Romanos esse successores Petri in primatu : alteri respondendum est, eas esse leges, quibus regitur electio

---

(18) « Quum Scripturae testimonio, apostolica traditione et Patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse vere et proprie unum ex septem Ecclesiae sacramentis. Inquit enim Apostolus (II Tim. I, 6): admoneo te ut resuscites gratiam... ». Concilium Tridentinum, sess. XXIII, c. 3. Ubi nota, PAULUM quidem, l. c., usum esse voce, χάρισμα, quae designat generatim gratiam *gratis datam*, sed hic, ut etiam alibi (cfr. *I Cor.*, XII, 3 coll. XIII, 1 ; *Rom.*, V, 15), eam sumere pro gratia *gratum faciente*, ut docet Tridentinum, quum ea negligi possit et sopita iterum accendi. Idem patet ex *I Tim.*, V, 22 : « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ». Nam haec communicatio haberi quidem potest in festina nimis nec ponderata impositione manuum in ordine ad ministerium, non autem in aliis impositionibus, puta in confirmatoria.

(19) Cfr. ad ex. AUGUSTINUM, *Contra ep. Parmen.*, 2, 13, 28 (M. P. L., XLIII, 70 sqq.), quo in loco s. Doctor comparat baptismum et ordinem, et ait : « Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur : illud, quum baptizatur, istud, quum ordinatur ; ideoque in catholica utrumque non licet iterari ». Cfr. etiam INNOCENTIUM I, *epist.* 24 *ad Alex.*, n. 3 (M. P, L., XX, 550) ; THEODORETUM, *Hist. relig.*, n. 15. (M. P. G., LXXXII, 1115).

(20) *De rom. Pont.*, p. II, c. 2, th. 8, n. II.

Romani Pontificis. Sed de hac conditione, quae remota est, non disputamus » (21).

Legitime autem electus in episcopum Romanum, quum in primatum Petri succedat, eo ipso obtinet immediate a Deo potestatem primatus in universam Ecclesiam. Christus enim voluit primatum Petri perpetuari in successoribus : eadem igitur voluntate voluit quoque eum habere primatum Petri. Id autem idem est ac dicere, Christum ipsi *immediate* conferre potestatem primatus (22). Quare legitime electus episcopus Romanus eam statim habet vi iuris divini et *solius* iuris divini. Habet autem ipso *iure immediato* Petri primatum, idest potestatem eamdem, quam Petrus habuit, nullo modo imminutam aut limitatam. Quare potestas Romanorum Pontificum semper eadem est, quae ne ab ipsis quidem successoribus aut praedecessoribus in primatu imminui aut quovis modo mutari potest (23).

5. *adimpleta conditione legitimae electionis eiusdemque acceptationis ;* — eaque *sola* ; neque necessaria est consecratio episcopalis, quae confert quidem potestatem ordinis, non vero potestatem iurisdictionis (24).

6. *in reliquis gradibus iurisdictionis, canonica missione.* — Idest sive institutione aut collatione officii ecclesiastici, sive delegatione a superiore habita. De his postea.

CANON 110.

Quamvis Praelati titulo, honoris causa, a Sede Apostolica etiam nonnulli clerici donentur sine ulla iurisdictione, proprio tamen nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent.

---

(21) Cfr. postea commentarium ad can. 218.

(22) Quod etiam patet consideranti eum nonnisi a Christo immediata potestate illa posse potiri. Neque enim eam habere potest ab electoribus, qui, quum eam non habeant, nec possunt aliis tribuere : neque alius est, qui eam possit electo committere.

(23) Cfr. ea, quae diximus ad can. 3.

(24) Cfr. PALMIERI, op. cit., th. 11 nota.

Canon praesens pertinet potius ad verborum significationem stabiliendam, ut iam non semel factum vidimus. Dicit autem *praelatum* in iure dupliciter accipi, vel quatenus scilicet dicit merum titulum honoris, titulum sine re; vel quatenus secum importat ecclesiasticam iurisdictionem. Sed ad hoc ut habentes ecclesiasticam iurisdictionem hoc titulo honorentur, debent non solum *a*) iurisdictione potiri, *b*) eaque ordinaria, sed *c*) in foro externo.

Ii autem qui tali iurisdictione potiuntur, praelati titulo decorantur et proprio nomine praelati dicuntur, sive seculares sint sive religiosi.

Sed an omnes omnino? Vel potius: num quaecumque iurisdictio fori externi ad hoc sufficit, an, contra, requiritur iurisdictio fori externi *quasi-episcopalis*? Et hoc videtur verum, quod et in adiuncto *Excursu* probatur.

EXCURSUS ad can. 110.

De « praelato » in hodierno iure canonico.

1. Quisnam intelligitur *praelatus* in canone 110, qui scilicet proprio nomine talis dicatur? Certe ante omnia evidens est eum non esse huiusmodi, qui iurisdictionem ordinariam in foro externo non obtineat. Sed an sufficit quaecumque talis iurisdictio? Et ex De Luca videtur requiri iurisdictio non solum ordinaria, sed etiam episcopalis aut quasi episcopalis (1). Scilicet se-

(1) De Luca in suo opere *De iurisdictione*, disc. XXXIV, n. 8 sqq. distinguit triplicem speciem praelatorum in iure, secundum diversam mensuram iurisdictionis quam habent, eamque desumit ex *Toletana*, Iurisdictionis, disputata apud Rotam in secunda medietate seculi XVII anno 1686 sqq., et refert etiam in disc. I eiusdem operis. Triplex porro haec classis ita ab eo distinguitur, ut prima dicatur esse episcoporum in propriis dioecesibus tamquam in territoriis cathedralium omnimodam iurisdictionem spiritualem habentium. Altera est praelatorum cum vero territorio separato et *nullius*, in quo independeter a quocumque ordinario omnimodam iurisdictionem spiritualem ac legem diœcesanam, ut ipse loquitur, exercent. Tertia vero species est praelatorum aliquam iurisdictionem in aliena dioecesi et sub alio ordinario habentium. Et addit, primam esse et dici *episcopalem*, alteram posse eodem modo episcopalem dici, sed in magis propria locutione vocari *quasi episcopalem*; tertiae vero nec unum nec alterum episcopalis vel quasi episcopalis vocabulum convenire. Et in confirmationem adducit decisionem rotalem in *Romana*, Hereditatis, 28 apr. 1639 coram Mettio, « ubi agendo de Card. Vicario Urbis firmatur eum dici ordinarium, utpote repraesentantem personam Papae,

cundum doctrinam De Luca, nec ipsius tantum, sed omnium quod sciam, canonistarum, praelatus stricto sensu est clericus non insignitus charactere episcopali, sed gaudens iurisdictione in foro etiam externo, exercenda non titulo vicariali, sed proprio nomine ; quae eius iurisdictio dicitur et est quasi episcopalis.

Inter huiusmodi praelatos supremum gradum obtinent praelati vere *nullius*, qui habent territorium separatum a dioecesi cuiuslibet episcopi et iurisdictionem activam in clerum et populum. Hi, exceptis iis, quae sunt ordinis episcopalis et quibusdam aliis in iure expresse notatis, omnia possunt quae spectant ad iurisdictionem episcopalem. Gradum intermedium tenent praelati, qui habent iurisdictionem in certum quemdam clerum et populum, qui tamen situs est in dioecesi alicuius episcopi. Infimum gradum obtinent praelati regulares, qui habent iurisdictionem in suos et exemptionem a iurisdictione episcopali.

2. Videtur igitur dicendum ex De Luca requiri iurisdictionem *quasi episcopalem*. Exinde autem sequitur abbates et praelatos *nullius* (c. 323), vicarios et praefectos apostolicos (c. 294), administratores quoque apostolicos, etiam ad tempus datos (c. 315), vere esse et dici praelatos. Item superiores maiores religionis clericalis exemptae praelatis sunt annumerandi (c. 501).

3. Sed quid dicendum de superioribus regularibus localibus ? Et puto iure Codicis hos non posse dici praelatos.

Dixi « iure Codicis » ; nam certe ante Codicem, secundum multos, praelati dicebantur et erant. Hanc vero assertionem probabant auctores tum ex c. 3 *de privilegiis* (V. 7) in 6° Alexandri IV. cum ex constitutione S. Pii V « Romani Pontificis » 21 iul. 1571. Ex primo quidem, quia illo capite Alexander IV explicando duo privilegia abbatibus concessa, alterum, de impertienda sollemni benedictione, alterum de conferendis ordinibus minoribus, videtur ipsis concedere iurisdictionem quasi episcopalem ; ex altero, seu ex constitutione Pii V, quia ea concedebatur PP. Praedicatoribus potestas quasi episcopalis, non exclusis prioribus aut superioribus conventualibus seu superioribus localibus. Et

---

non tamquam Papae, sed tamquam episcopi Urbis cum plena iurisdictione episcopali et lege dioecesana, et tamen eius iurisdictio dicitur quasi episcopalis, gratia melioris locutionis, quia vere non est ipse episcopus ». De Luca igitur praeter hos, nullum alium praelatum recognoscit.

quamvis forte primum non omnino satisfaciat, quia Alexander nihil concedit, sed tantum iam habita declarat, secundum non videtur posse impugnari.

Ante Codicem igitur in ordine PP. Praedicatorum priores seu superiores locales, quum haberent iurisdictionem quasi episcopalem, vere dicebantur et erant praelati. Et si id valebat in ordine PP. Praedicatorum, quum regulares mendicantes haberent plenissimam communicationem privilegiorum inter se et cum non mendicantibus (2), valebat etiam pro aliis.

At nunc, quum ex una parte decretales a Codice abrogatae sint, et communicatio privilegiorum ex can. 613 sit exclusa, aliud dicendum omnino videtur. Scilicet iurisdictionem ordinariam in foro interno et quasi episcopalem quum unice habeant superiores maiores, ii tantum, non superiores locales dici possunt et sunt praelati. Idque confirmatur ex can. 198 § 1, quo ipsi soli seu soli superiores maiores in iure aequiparantur vel potius annumerantur ordinariis.

---

(2) Cfr. inter alias Const. Sixti IV « Regimini » 31 aug. 1474 et Const. Leonis X « Dudum » 10 dec. 1519.

TITULUS I.

DE CLERICORUM ASCRIPTIONE ALICUI DIOECESI

CANON 111.

§ 1. *Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur.*

§ 2. *Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt,* incardinatur *dioecesi pro cuius servitio promotus fuit.*

1. § 1. Baptismate ipso ascribitur quis Ecclesiae Christi, ut vidimus can. 87, eoque sortitur parochum et ordinarium quibus subdatur, et quibus subditus factus in unitatem Ecclesiae veniat iungaturque Petro et per Petrum Christo. At vero clerici non unice egent ea unitate, quae ad universalem subiectionem pertinet, et qua catholici sunt adhaerentes uni Ecclesiae Christi ; sed et praeterea egent subiectione particulari, qua operentur et agant, ministerium exercentes ad quod vocati sunt. Quare in eis attendenda non solum subiectio ex necessitate fidei et unitatis servandae, sed etiam subiectio servanda ex *necessitate ministerii*, quod etiam ordinate peragendum est, ut ex actione singulorum intentum Ecclesia finem consequatur in conservatione et propagatione regni Christi.

Ad hoc igitur necesse est, ut quisque clericus suo subiiciatur ordinario in ministerio exercendo ; quare — ***Quemlibet***

clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni ascriptum.

2. Consequentia autem huius necessariae ascriptionis est — ***ita ut clerici vagi*** (1) ***nullatenus admittantur.*** — Quod quidem refert et confirmat veterem disciplinam. Nam iam Concilium Chalcedonense (a. 451) sub Leone M. edixit : « Nullum absolute ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter Ecclesiae civitatis aut possessionis aut martyrii, aut monasterii, qui ordinandus est pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam (2) haberi huiuscemodi manus impositionem et nusquam posse ministrare ad ordinantis iniuriam » (3).

Attamen antiquis illis temporibus etsi generaliter ea disciplina vigebat, notae tamen sunt exceptiones factae, inter quas celebriores fuere S. Paulinus Nolanus (4) et S. Hieronymus (5). Hae in aevo medio plurimum excreverunt, adeo

---

(1) Nota, *vagum* hic non sumi in sensu canonis 21, sed in alio prorsus, ita ut dicat clericum, qui nullam habeat dioecesim aut religionem cui sit ascriptus, nullum proinde ordinarium cui *tamquam clericus* subsit. Quare potest clericus *qua christianus* habere domicilium et ex eo parochum et ordinarium, cui qua talis subsit ; sed simul esse vagus in sensu praesentis canonis, quia, *qua clericus*, nullam habet dioecesim vel religionem, nullum ordinarium.

(2) « Irritam » utique iuridice et in foro externo Ecclesiae.

(3) C. 6 Conc. Chalced. relat. a Gratiano quod ad sententiam c. 1, D. 70. Praeiverat etiam Concilium Nicaenum (a. 325), cc. 15, 16, prohibens ne clerici ad ecclesias demigrarent alias ab eis, pro quibus fuerant ordinati ; et ex conciliis particularibus Concilium Arelatense I (a. 314), c. 21, nec non Synodus Valentina in Hispania (a. 254), quae prohibuit ordinari clericum qui *localem* se futurum prius non promiserit. Quare clerici, ut ordinarentur, *locales* prius fieri debebant, et, iam ordinati, *locales clerici* alicubi vocabantur. Et nota, disciplinam tunc vigentem praesenti severiorem fuisse, quum ascriptionem requireret non dioecesi tantum, sed *ecclesiae* aut *martyrio*, quemadmodum in usu fuit usque ad Tridentinum (cfr. sess. XXII *de observ. etc. in celebr. missae*; sess. XXIII, cc. 6 et 16 *de ref.*).

(4) Scribit ipse, *epist.* 1ª, n. 10 *ad Severum* : « Scito tamen voti communis eodem domino praestante salvam esse rationem ; nam ea conditione in Barcinonensi ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi ecclesiae non alligarer, in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum ecclesiae dedicatus » (M. P. L., LXI, 159).

(5) In *libro contra Ioannem Hierosolym.* n. 41 (M. P. L., XXIII, 395) haec scribit : « Sin autem de Pauliniano tibi sermo est : vides eum episcopo suo esse subiectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum sed ut alienum ; eius videlicet a quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, et in exsilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem quem omnibus debemus episcopis ? Fac a te ordinatum : idem ab eo audies, quod a me misello homine

ut Concilium Tridentinum (6) renovaverit antiquam disciplinam volueritque « ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus ». Praeceptum Tridentinum de ascriptione certae ecclesiae renovatum et inculcatum postea est a nonnullis Romanis Pontificibus (7).

3. § 2. Ascriptio autem dioecesi, seu *incardinatio* clerici, quam dicunt (8), fit collatione et susceptione *primae tonsurae*. Haec autem clericum incardinat *dioecesi* pro cuius servitio promotus fuit ; proinde, per se, non *episcopi collatoris* (9). Concor-

---

sanctae memoriae episcopus Paulinus audivit : Num rogavi te ut ordinarer ? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi propter quod seculum dereliqui, ego habeo quod semper habui : nullum dispendium in ordinatione passus es ».

(6) Sess. XXIII, c. 16.

(7) Cfr. Constit. Innocentii XIII « Apostolici ministerii » 23 maii 1723 ; Benedicti XIV « In supremo » 23 septembris 1724.

(8) Scilicet *incardinatio* et *excardinatio* clericorum est, non viri laici ; sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quaedam litterae, quasi *excardinatoriae* seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatae, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat ; quibus litteris episcopus originis laicum suae dioecesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat eum in clericalem statum ascribendi, in alium ordinarium transferre eique cedere videbatur ; et vicissim hic illum suscipiens, eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et sacros ordines promovere libere arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset secundum Constit. « Speculatores » praescripta. Hunc morem S. C. C. decr. 15 sept. 1906 approbavit, et statuit, per eas litteras laicum fieri extradioecesanum et subditum *proprium* episcopi benevoli receptoris, qui hac ratione posset ipsum promovere ad tonsuram et ordines, quibusdam servatis conditionibus. Codex hoc canone redit ad antiquam significationem vocis et *excardinationem* non admittit nisi clerici. Quare prudens legislator in c. 585 non dicit quidem professum a votis perpetuis *excardinari* ab antiqua dioecesi, sed eam *amittere*. Amittit is quidem vere, quia iam ordinarius incapax fit eum, qui forte adhuc domicilium in dioecesi retinet, quia in dioecesi ex. gr. est domus novitiatus, ad primam tonsuram promovere, idque iam pertinet exclusive ad ordinarium regularem, qui per alium eum ad tonsuram promovet.

(9) Chelodi, *Ius de personis*, 106 n., contrarium videtur sentire. Dicit enim : « Qui ordinatur a proprio episcopo servitio alius dioecesis (ideoque iam in actu habet intentionem abeundi), incardinatur tamen dioecesi ordinantis : quapropter debet deinde excardinari et incardinari ». Citat autem in confirmationem suae assertionis responsionem Commiss. Interpr. relatam a *Monitore Ecclesiastico*, febr. 1920, pag. 57, quae ad 2.um : « Utrum ille qui ordinatur a proprio episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta canonem 969 § 2 ? », dubium dimisit cum responsione : « Affirmative ad 1.am partem, negative ad 2.am ». At haec responsio omnino contraria est assertioni Chelodi et inutilem reddit quamcumque excardinationem aut incardinationem. Idque patet atten-

dat can. 969 § 2. Hinc tonsurae proprium est clericum dioecesi incardinare quasi *vi ipsa sua*. Et iure, quia laicus in hypothesi sese offert episcopo, ut operam suam praestet in servitio eius ecclesiae : episcopus eum in hunc finem acceptat et vel tonsuram confert vel alii conferendam committit. Tonsuratus manet ascriptus dioecesi, pro cuius servitio se obtulerat. Quod quidem respondet primaevae Ecclesiae disciplinae, secundum quam « quilibet episcopus erat proprius pro ordinatione laici, idest poterat laicum cuiuscumque dioecesis ordinare, et ordinatus ita perpetuo ecclesiae ordinantis ascribebatur, ut non posset ad aliam dioecesim transire, aut sine eius licentia ab alio episcopo ad altiores ordines promoveri », ut dicit GASPARRI (10). Hic autem tonsurae effectus adeo firmus est, ut ad normam can. 956 nulla sit necessitas iurisiurandi ad confirmandam promissionem manendi perpetuo in ea dioecesi (11).

4. Dicebam tonsuram *ipsa vi sua* promotum incardinare dioecesi, pro cuius servitio assumptus seu receptus est. Sed quid, si collator promoverit aliquem nullius dioecesis servitio destinatum ? Et puto dicendum eum in casu ascribi, ipso facto tonsurae receptae, dioecesi collatoris, aut illius, cuius auctoritate vel mandato is tonsuram contulit. Moveor, quia principium est in iure in hoc canone constitutum, non admitti clericos vagos, is autem clericus est. Debet igitur alicui dioecesi vel religioni esse ascriptus. Quare, quemadmodum episcopus, qui citra apostolicum indultum aliquem sine titulo canonico promoverit ad sacros ordines, debet ipsi egenti alimenta suppeditare, donec eius congruae sustentationi aliter provisum fuerit (can. 980) ; ita etiam conferens tonsuram sine praevia assigna-

---

denti : nam ante tonsuram (et certe Commissio in hac hypothesi se loqui debere existimavit, secus enim falsa fuisset allegatio can. 111 § 2) hi laici sunt, nulli proinde dioecesi incardinati. Quae omnia illud etiam ostendunt, canonem 969 § 2 loqui non quidem de laicis tonsurandis, sed de clericis ordinandis. Hi quum iam dioecesi suae incardinati tonsura sint, si postea ordinantur pro alia dioecesi egent excardinatione et incardinatione, quum primam dioecesim relinquere et ad aliam debeant transire. Quare bene postea (n. 107) CHELODI : « *Clerici secularis* incardinatio duplex in iure : formalis per actum acceptationis, praemissa dimissione, et aequivalens per collationem beneficii residentialis ». Pro *laico* habetur etiam receptio tonsurae pro dioecesi, pro cuius servitio promotus fuit.

(10) *De sacra ordin.*, II, 802, et ex eo refert folium S. C. C. ex officio in causa apud eam acta 10 mart. 1923 (A. S. S., 1924, pag. 31).

(11) Cfr. folium ex officio citatum in nota praecedente.

tione dioecesis tonsuratum suae dioecesi ascribit. Ponit enim liber et volens actum ex se talem ascriptionem gignentem ex ipso iuris praescripto ; et proinde in se suscipit omnes illius actus connaturales et iuridicas consequentias. Quod si ordinarius alicui sine designatione peculiaris dioecesis, puta si se intruderit, tonsuram conferat, is consequenter manet in dioecesi episcopi tonsurantis, vel ad statum laicalem reducendum dixerim ob admissam culpam.

Diversus est casus illius, qui tonsuram recepit religiosus, sed postea religionem volens nec coactus legitime derelinquit (12). Is secundum CHELODI (13) manet clericus, sed non ascriptus dioecesi originis, quia pro eius servitio non est promotus, sed « videtur in eadem conditione iuridica esse ac laicus » (14). Haec autem verba illud unice, quod intelligam, significare possunt, eum nullam habere dioecesim, cui sit ascriptus, et, qua clericum, esse vagum. Id autem videtur dici non posse. Conditio enim haec non est conditio iuridica. Clerici quippe vagi iure dice non exsistunt : ad summum exsistere possunt *de facto*. Si igitur is vult remanere clericus, attendendum est ante omnia ad factum, utrum professionem perpetuam emiserit, an non. Si non emisit, sed temporariam tantum fecit, quum non amiserit dioecesim, quam in seculo habebat, ad eam redire tenetur, quamvis episcopus possit eum non admittere, et in hac hypothesi redimus ad sequentem hypothesim ; si emisit, et proinde amisit primam illam dioecesim, debet et ipse episcopum benevolum receptorem invenire, quem si non invenerit, et sit clericus minor, et hunc reducendum dixerim ad statum laicalem, non quidem ob admissam culpam, sed quia nemo manere potest in tali statu et conditione, quae a iure non admittitur ; si vero est in sacris, nequit extra religionem ordines exercere, et recurrere debet ad S. Sedem, ut provideat (can. 641). Idem dicendum de eo, cui collata est tonsura ab episcopo titulari.

---

(12) « Dereliquit », nam si *dimissus* est, ipso iure reducitur ad statum laicalem, si non sit in sacris c. 648.

(13) Op. cit., 108 n. 1.

(14) CHELODI, l. c.

CANON 112.

Praeter casus de quibus in can. 114, 641 § 2, *ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis perpetuae et absolutae; et ab Ordinario alienae diœcesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae.*

1. Postquam in superiore canone actum est de necessitate pro clerico, ut ascriptus sit alicui dioecesi aut religioni, et de modo connaturali et primario istius ascriptionis, quae susceptione tonsurae fit, iam agendum est de mutanda, prout aliquando necessarium est, primitiva illa ascriptione (1). De hoc agit canon praesens et formam statuit ad hoc *substantialem*, ut dicitur; quod ideo fit, quia magni momenti est stabilire cuinam dioecesi vel religioni clericus ascriptus dicendus sit. Forma autem explicatur in praesente canone (2), ut ipsius canonis exegesi facile patebit. Dicit igitur Codex, repetens in hoc et in sequentibus canonibus dispositiones, saepe ad verbum, decreti S. C. Conc. « A primis » 20 iulii 1898 :

2. ***Praeter casus, de quibus in can. 114*** — seu de collatione beneficii residentialis in alia dioecesi; — ***641 § 2*** — seu de episcopo qui religiosum vota temporaria non renovantem vel consecutum indultum secularizationis, recipit in suam dioecesim pure et simpliciter, aut receptum *ad experimentum*, illud protrahit ultra sexennium; — ***ut clericus alienae dioecesi valide incardinetur, a suo ordinario obtinere debet litteras,*** — quae dicuntur proinde litterae *excardinatoriae*, seu *exeat*; « obtinere » autem ipse debet, qua praescriptione implicite dicitur, clericum in hanc excardinationem et

---

(1) Cfr. *epist.* S. Leonis M. *ad episc. Aquileien.* (M. P. L., LIV, 596), et *epist. ad Anastasium episc. Thessalon.* (M. P. L., LIV, 674), nec non *epist. ad episc. Illyr.* (M. P. L., LIV, 666); Concilium Romanum sub Eugenio II, c. 18. Quod ad substantiam c. 1 D. 72.

(2) Quod ad paullo antiquiorem disciplinam attinet, cfr. Concil. plenar. Baltimorense (a. 1886), n. 62-69; *Collect. de Prop. Fide*, 2, n. 1734.

consequentem incardinationem consentire debere ; — ***ab eodem subscriptas*** — debet enim esse actus ab ipso ordinario positus, ad exclusionem vicarii generalis, et etiam capitularis, si faciendus sit extra annum a vacatione ; — ***excardinationis,*** — scilicet excardinatio est facultas perpetuo transeundi ad aliam dioecesim, quae clerico conceditur, seu est perpetua dimissio clerici a sua dioecesi, ut in aliam recipiatur ; — ***perpetuae et absolutae*** — idest nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiae, ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur.

3. ***et ab ordinario alienae diocesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae.*** — Iam ex decreto S. C. C. superius citato requirebatur actus legitimus excardinationis episcopi *a quo*, et incardinationis episcopi, qui dioecesi suae ascribit, et uterque actus in scriptis conficiendus erat. Censebatur enim donatio, ad quam necessarius est consensus donantis et acceptatio donatarii ; vel, considerata ex parte donantis, alienatio. Hanc formam in omnibus confirmavit Codex, ut patet ex canone praesente.

CANON 113.

Excardinationem et incardinationem concedere nequit Vicarius Generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis, nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli.

1. Quum excardinatio alienationem redoleat, mirum non est eam interdici *vicario generali* sine speciali mandato ; quia is, quamvis aequiparari aliquo modo possit in dioecesi administratori seu procuratori, ut tamen patet ex mente iuris aequiparandus est administratori non *cum libera*, sed simplici, qui proinde nulla potestate potitur ad alienationes faciendas.

2. Nec solum vicario generali propter rationem adductam haec potestas merito denegatur, sed etiam *vicario capi-*

tulari, nisi intra certos quosdam limites. Is enim dioecesim non habet in titulum, nec ullo modo dici potest sponsus ecclesiae, cuius bona et iura quasi in dotem habeat, et proinde quasi sua administret. Is positus est unice ad consulendum ecclesiae necessitatibus. Extra casus igitur necessariae administrationis non potest iurisdictionem exercere. Ad necessariam autem administrationem non pertinet clericos excardinare seu alienare, quemadmodum nec bona ecclesiae. Quare iam inter antiquos canonistas controversia erat, num excardinare eos posset vicarius capitularis. Et multi (1) dicebant, id non posse sine venia Romani Pontificis, aliis in contrariam sententiam abeuntibus. Omnes tamen admittebant, eum posse novos clericos sub iurisdictione dioecesana ad servitium dioecesis recipere seu dioecesi incardinare : ad quod imo nec consensu nec consilio capituli dicebant indigere. (2) Ratio autem erat, quia in casu agebatur de lucro ecclesiae faciendo. Nunc ex Codice vicarius capitularis nihil huiusmodi potest, eique prohibetur tum excardinatio, cum etiam incardinatio, forte quia melius visum est, futuro episcopo relinquere etiam incardinationem, propter periculum, ne nimium forte facilem se praebente vicario capitulari ad incardinationem, lucrum vertatur in damnum, et ecclesia ditetur clericis ineptis, quos lucrum esset dimittere.

At ea, quae de vicario capitulari dicta sunt, valent pro primo anno a vacatione sedis. Post annum utrumque ei conceditur cum consensu tamen capituli. Ratio autem est evidens: quia scilicet si protrahitur receptio vel ordinatio aliquorum ad parvum tempus, nullum est damnum pro dioecesi, et ex alia parte utilitas est, ut id relinquatur auctoritati novi episcopi; sed si haec conditio nimium protraheretur, probabile esset, ne verteretur in damnum id quod ad damnum praecavendum introductum est (3).

---

(1) Cfr. quaestionem discussam, pro negativa apud FAGNANUM, in c. 11, tit. 33, lib. I Decr., n. 59 ; HOSTIENSEM, ibid., n. 1 ; DIANAM, p. 8, tr. 4, resol. 20 ; pro affirmativa apud ABBATEM, in c. 14, tit. 33, lib. I Decr., n. 2 ; MEDINA, *De iust.*, tom. 6, 5, 15, 14 ; LEURENIUM, *De vicar. episcopi*, III, 2, 507.

(2) DE ANGELIS, *Prael. iur. can.*, I, 28, 21 ; DE HERDT, *Praxis capit.*, 23, 7, III.

(3) Propter eamdem rationem statutum est can. 958 § 3, ut vicarius

CANON 114.

Habetur excardinatio et incardinatio, si ab Ordinario alienae dioecesis clericus beneficium residentiale obtinuerit cum consensu sui Ordinarii in scriptis dato, vel cum licentia ab eodem in scriptis concessa e dioecesi discedendi in perpetuum.

In superioribus canonibus actum est de excardinatione et incardinatione, quae explicite fiat. At ea tacite quoque et implicite locum habere potest. De hoc modo implicito aut tacito loquuntur duo sequentes canones.

In hoc canone agitur de casu, quo clerico confertur (1) *beneficium* in dioecesi non sua, quod ipse acceptat et ad dioecesim, in qua situm est beneficium, transit, venia accepta a priore suo ordinario (2). Porro in hoc casu dari excardinationem et incardinationem expresse hic dicitur, dummodo agatur de beneficio *residentiali* (3), et ordinarius vel *scripto* consenserit ad acceptandum beneficium, vel etiam *scripto* licentiam dederit clerico e dioecesi discedendi in perpetuum. Ratio est, quia in utroque casu prior ordinarius eas licentias concedendo renuntiat servitio, quod clericus praestare deberet suae dioecesi, et in casu vere eum excardinat, quum excardinatio, secundum folium S. C. Conc. ad decretum « A primis » 20 iul. 1898, sit « plena et perpetua dimissio a suo ordinario », vel ut in commentario

---

capitularis intra annum a creatione non concedat litteras dimissorias, nisi solis arctatis, renovando dispositionem Concilii Tridentini, sess. VII, c. 10 *de ref.*; sed post annum etiam aliis subditis conferre potest, tum ex Codice, can. cit., cum ex Tridentino, l. c. Utroque autem iure vicario potestas non fit, nisi consentiente capitulo, propter momentum ipsius concessionis. Cfr. S. C. Conc. in *Neapolitana* 12 ian. 1604.

(1) « Confertur », non tantum *promittitur*.

(2) Cfr. causam *Viterbien.* actam apud S. C. EE. RR. 14 iul. 1905 (*Monitore ecclesiastico*, 1905-1906, p. 435).

(3) Iam prius, non obstante decreto « A primis », visum est mihi collationem beneficii residentialis debitis modis factam, aequivaluisse tacitae incardinationi in aliam dioecesim (Cfr. B. Ojetti, *Synopsis rerum mor.* etc., n. 2435); nec solum mihi, sed et Gennari (in *Monitore Eccles.*, XVII, p. 435). Verum S. C. Conc. aliter aestimasse videtur in causa dioecesis T. apud eam acta 27 ian. 1917 (A. A. S., 1918, p. 18). Nunc controversia in sensum affirmantem hic decisa prorsus est. Et puto in casu comprehendi etiam collationem paroeciae vel quasi-paroeciae, de qua in c. 1405 § 3, quum eaedem omnino valeant rationes iuridicae.

ad decretum dicit *Monitore ecclesiastico*, « perpetua dimissio clerici e propria dioecesi et eius in aliam receptio per auctoritatem ordinarii ». Scripto autem hae licentiae dandae sunt, quia aequivalent excardinationi, quae ad normam can. 112 scripto facienda est.

CANON 115.

Etiam per professionem religiosam quis a propria dioecesi excardinatur, ad normam can. 585.

Est alter casus implicitae excardinationis. Nam « professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in seculo habebat dioecesim » (c. 585).

CANON 116.

Excardinatio fieri nequit sine iustis causis, et effectum non sortitur, nisi incardinatione secuta in alia dioecesi, cuius Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat.

1. Hoc canone refert Codex dispositionem decreti « A primis » 10 iulii 1898, § 1, in qua dicebatur, eminentissimos Patres Congr. Concilii statuendum censuisse « excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi exsecutioni demandata ». Dicuntur autem *iustae causae* exigi, ne excardinatio videretur permitti ad satisfaciendum volubilitati aut ambitioni aut avaritiae clerici. Alia etiam ratio esse potest, quia clericus praesumitur fuisse ordinatus ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae, et proinde necessariis ornatus dotibus ad ministerium cum fructu exercendum. Quare excardinatio vere sapit alienationem, non quidem bonorum, sed multo potiorem, quantum scilicet persona apta praestat bonis.

2. Secunda autem pars canonis est sequela magis explicita eorum, quae in superioribus canonibus implicite statuta sunt.

Causae iustae excardinationis possunt etiam se tenere *ex parte clerici* excardinandi, ut esset, ex. gr., offensiuncula, vel multo magis gravis offensio, quam forte clericus incurrerit erga vel adversus priorem episcopum, etc.

Sed an ista pars additur ad validitatem ita, ut ordinarius incardinans, qui id faciendum omiserit, posuerit actum nullum ? Et dubius haereo ; nam ex una parte, quum id praescribatur unico contextu cum antecedentibus, quae videntur omnino ad validitatem praescripta, et ipsum videtur requiri ad validitatem actus ; ex altera parte videretur respondendum oppositum, quum id praescribatur nova propositione incidentali.

Certe autem praeceptum imponitur ordinario incardinanti, ut quantocius de incardinatione secuta certiorem reddat ordinarium excardinantem.

CANON 117.

Ad ordinationem alieni clerici Ordinarius ne deveniat, nisi :

1° *Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum ;*

2° *Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione, et habuerit praeterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia, maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis ; Ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia ;*

3° *Clericus iureiurando coram eodem Ordinario eiusve delegato declaraverit se in perpetuum novae dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum.*

1. In hoc canone repetuntur cetera, quae in decreto « A primis » superius citato, praescripta iam fuerant a S. C. Concilii. Reducuntur autem ad haec, ut scilicet ordinarius ad incardinationem clerici non deveniat, nisi :

1° ***Necessitas aut utilitas dioecesis id exigat.*** — Sicut enim *iustae causae* requiruntur ad excardinandum clericum, ita et multo magis requiruntur ad incardinandum. Discrimen autem est, quod causae excardinationis relinquuntur aestimationi ordinarii excardinantis, istae vero, seu causae incardinationis taxative hic praescribuntur. Quare ordinarius incardinans de sola necessitate aut utilitate *ecclesiae suae* per se debet esse sollicitus.

salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum. — Quae praescripta vide postea a can. 979 ad can. 982. Hic autem nota non posse proinde *per se* excardinari ordinatum ad titulum beneficii residentialis aut ad titulum servitii ecclesiae vel missionis, nisi prius mutato titulo.

2. 2° ***Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima excardinatione et habuerit praeterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.*** — Quare in primis ordinarius incardinationis scriptas eas litteras, quae ad excardinationem requiruntur ex praescripto can. 112, debet *recepisse*, nec potest fidere clerico incardinando asserenti se eas litteras habuisse. Praeterea debet habere a *curia dimittente* opportuna testimonia de natalibus, vita, moribus ac studiis peractis.

maxime si agatur de incardinandis clericis diversae linguae et nationis. — Quia scilicet quando agitur de talibus incardinandis maius est periculum ne malus quidam clericus confisus bona fide ordinarii incardinantis, qui clerici linguam non callet et cuius linguam clericus perfecte non cognoscit, in dioecesim indignus intrudatur : quapropter ordinarius in iis admittendis cautius et severius procedere debet, ac numquam eos recipere, nisi prius requisiverit a respectivo eorum ordinario et obtinuerit secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem.

ordinarius autem dimittens, graviter onerata eius conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veri-

tati conformia. — Quod quidem patet, praesertim respectu habito ad momentum rei.

3. 3° ***Clericus iureiurando coram eodem ordinario eiusve delegato declaraverit se in perpetuum dioecesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum.*** — Scilicet clerici ideo recipiuntur, ut in ministerio laborent, in ministerio autem ordinate peracto et proinde in dioecesi. Iuramentum autem requiritur propter magnum rei pondus et gravitatem ; sed non ad validitatem incardinationis. Neque enim ad formam substantialem pertinet; ea enim in can. 112 statuta est et iusiurandum hoc non complectitur ; et ita resolverat iam S. C. Concilii in *Bismarkien.* 31 ian. 1913 contra Rotam in *Londonen.* 9 ian. 1912 (d. 2, n. 4) et 17 april. 1913 (d. 22,n. 12).

TITULUS II.

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM

STRECKER, De iuribus clericorum singularibus, Erford, 1755. — HUEFFER H., Das privilegium canonis, in *Arch. f. kath. Kirchenrecht*, III (1858) 155 sqq. — HIRSCHEL, Die heutige Anwendbarkeit des privilegium fori, in *Arch. f. kath. Kirchennecht*, VII (1861) 200 sqq. — PAZZAGLIA P., I diritti del clero, Verona, 1888.

CANON 118.

Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiaticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.

1. Clericus per susceptionem clericatus, perinde ac laicus per susceptionem status laicalis, quaedam obtinet iura, quasdam contrahit obligationes. De illis in praesenti titulo agit Codex, de his in sequenti. Sermo autem in utroque titulo est de iuribus et obligationibus communibus omnibus clericis; de aliis enim, quae alicui clericorum gradui propria sunt, postea specialibus in locis tractat.

Porro loquendo de communibus clericorum privilegiis et iuribus BARBOSA (1) ea in duas classes dispescit, distinguens ea, quae solis clericis supra laicos conceduntur, et ea, a quibus prae laicis clerici debent esse immunes. Hae proprie *immu-*

(1) *Ius eccl. univ.*, lib. I, c. 39, n. 13.

nitates, illae *praerogativae* dicuntur. De his agit praesens canon et pro parte sequens. Dicitur autem hic:

2. *Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae... obtinere.* — Videbamus iam supra, clericos in Ecclesia ad ministerium exercendum iure divino constitutos esse, quemadmodum etiam ad regendos Christifideles seu laicos vel plebem aut multitudinem: et quidem ad exclusionem istorum, quia scilicet laicis munera ista non sunt demandata, qui non sanctificare nec regere, sed sanctificari et regi ex Christi institutione debent. Istud autem munus sanctificandi et regendi, a Christo clericis, idest coetui clericorum seu hierarchiae sive ordinis sive iurisdictionis, secundum supremum, medios vel infimos gradus, commissum est, singulis autem per potestatem vel sacra ordinatione vel iure divino immediate, si de primatu agatur, aut missione canonica collatam. Hanc vero potestatem sive ordinis sive iurisdictionis nonnisi clerici accipiunt, vel saltem ii, qui eam accipiendo clerici constituuntur (3).

et beneficia. — Quum enim beneficia dentur propter officia (3), officia autem ecclesiastica nonnisi a clericis exerceri possint, ut ex supra dictis patet, sequitur etiam beneficia ipsis

---

(2) c. 1, D. XXI; c. 31, C. XI, q. 1; c. 7, C. XII, q. 1; cfr. *Nov. Iust.*, 123, c. 21; FAGNANUM, *in c. 2 de praeb.* etc., n. 6. Quare per se, extraordinarie quidem, nomine *clerici* veniret etiam ille, qui ne prima quidem tonsura initiatus, per legitimam tamen electionem et acceptationem aliquem obtineret gradum iurisdictionis ecclesiasticae. Tslis profecto esset laicus, qui legitime electus in Romanum Pontificem, electionem de se factam acceptasset. Statim ab acceptatione is consequeretur plenitudinem iurisdictionis in Ecclesiam, et tamen in suppositione ne initiationem quidem ad ordines recepisset. Talis probabiliter fuit casus Caesaris Borgia, qui forte ne clericus quidem erat, quando octodecim annos natus creatus est episcopus Valentinus a. 1492 ab Alexandro VI, vel etiam quando superiore anno 1491 ab Innocentio VIII electus fuerat administrator in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Pampilonensis cum iure succedendi in eam ecclesiam quando devenisset ad vigesimum septimum aetatis annum. Quod quidem non est omnino certum; sed certum est, eum recepisse ordines minores die 26 martii 1494, iam mense septembri anni superioris cardinalis factus. Cfr. PASTOR, *Storia dei Papi*, III, pag. 278, nota 2, qui ex *Diario* BURCHARDI, II, 99, asserit eadem illa die 26 martii recepisse subdiaconatum, cuius postea assertionis immemor eodem volumine, pag. 381, dicit Caesarem numquam suscepisse ordines maiores, quum tamen subdiaconatus iam inde a seculo XIII erat ordo maior.

(3) c. 25, D. XXIII; BARBOSA, o. c., n. 14.

tantummodo conferenda esse (4). Huic aliam etiam adde rationem, quod scilicet beneficium ex iure sit aliquid spirituale (5), laici autem iurium spiritualium personalium (6) sint incapaces, ex qua incapacitate sequitur eos esse incapaces beneficiorum (7).

ac pensiones ecclesiasticas. — Pensio enim ecclesiastica est portio aliqua fructuum beneficii legitime clerico concessa (8). Per se non est beneficium, quum perpetuitate careat, nec detur propter officium spirituale ; sed aliquam cum beneficiis similitudinem praesefert (9), maxime quando datur in titulum cum annexo beneficio spirituali (10).

EXCURSUS I ad can. 118.

Num mulier capax sit iurisdictionis ecclesiasticae.

1. Panormitanus seu Abbas Siculus, Nicolaus ille De Tudeschis. qui, exeunte seculo XIV, unus fuit e celebrioribus canonistis, in caput 12 (*Dilecta*) *de maiorit. et obed.* X. (I. 33), notat, mulierem *qua talem* non posse iurisdictionem exercere aut virili officio fungi, sed si ei deferatur dignitas, quae habeat annexam iurisdictionem, posse eam exercere, ut est in *civilibus* in casu, quo ei regnum defertur, et in *ecclesiasticis* in casu abbatissae, quae « est capax iurisdictionis spiritualis... et iurisdictionem ipsam potest exercere in suas moniales », imo « potest habere sub se

---

(4) c. 17, X. (I. 3) ; c. 6, X. (I. 36) ; c. 2, X. (III. 7) ; Barbosa, o. c., n. 16.

(5) c. 25, X. (III. 5).

(6) Ita D'Annibale, I, 108, qui relate ad hoc sequentia ibidem tradit. Scilicet ait :« De catholicis unum inquirimus, quatenus sint participes bonorum spiritualium ; non eorum quidem, quae profluunt ex Dei miseratione immediate, nempe gratiarum et virtutum, nec eorum quae pertinent ad communionem sanctorum, sed eorum quae ecclesiae communione continentur, quae nempe D. N. Iesus Christus ecclesiae administrationi concredidit. Porro communio huiusmodi in externam et internam diducitur. Ad externam spectat participatio sacramentorum, divinorum officiorum et sepulturae ecclesiasticae : ad internam, participatio fructuum ex sacrificio missae, ex indulgentiis, ex publicis ecclesiae precibus. Quae omnia, non immerito, *iura personalia* hominis christiani esse dixeris. Itaque boni sunt utriusque communionis participes ; mali exterioris tantum ; excommunicati neutrius ».

(7) De Grassis, *De effect. clericatus*, eff. 15, n. 3 ; D'Annibale, l. c.

(8) Leurenius, *For. benef.*, III, 428; Ferraris, *Pr. bibl.*, v. « Pensio », n. 5.

(9) Can. 1412, n. 4; De Grassis, l. c., n. 7 sq.

(10) Can. 979, § 1.

clericos seculares, quod intellige de iure speciali, ut puta si habeat cappellas ex privilegio vel praescriptione pleno iure sibi subiectas ; nam tunc clerici illarum cappellarum sibi subiiciuntur » ; et proinde « est capax collationis beneficiorum, potest ergo habere ius conferendi et instituendi : ista enim sunt iurisdictionis spiritualis et non ordinis » ; haec enim, « quae dependent a potestate clavium, non cadunt in mulierem, etiam alias habentem iurisdictionem spiritualem : unde abbatissa non potest absolvere moniales a peccatis earum... nec excommunicare... Ex quo nota, quod non habens ordinem non potest excommunicare, licet sit persona religiosa. Ex quo infertur, quod si esset aliquod collegium religiosorum non habentium ordinem, non posset superior, qui non habet ordinem, excommunicare subiectos. Idem dicit *Glossa* in suspensione ab officio et in potestate interdicendi ab ingressu ecclesiae et divinis officiis ; et hanc opinionem sequuntur communiter doctores hic, dicentes quod, licet abbatissa possit suspendere a beneficio, subtrahere praebendas, et lato modo interdicere et suspendere ab ordine, ut puta praecipiendo subiectis ne celebrent, donec satisfecerint ; tamen stricte et proprie interdicere et suspendere ab ordine non potest, ea scilicet suspensione et interdictione, quae inducit irregularitatem in contrarium facientibus ».

Huic sententiae Panormitani subscripsit Azor (1), qui, postquam dixit convenire inter omnes theologos (2) et canonistas (3) abbatissam non esse capacem potestatis ordinis, quaerens an sit capax potestatis iurisdictionis, respondet id esse dubiae quaestionis. Nam multi theologi (4) « negant eam esse capacem spiritualis iurisdictionis ordinariae, sed tantum commissae et delegatae Romani Pontificis auctoritate ; Panormitanus tamen in cap. *Dilecta* citato et ceteri iurisconsulti cum *Glossa* ibidem, evidenter innuere illam esse capacem iurisdictionis etiam ordinariae, non solum delegatae et demandatae. Id colligunt ex cap. *Dilecta de maior. et obed.*, ubi dicitur de abbatissa quadam, clericos sibi subiectos a beneficio et officio suspendisse. Nam certe quod quis

(1) *Instit. mor.*, part. I, XIII, 10, « Quinto quaeritur ».
(2) In IV, dist. 19 et dist. 25.
(3) In c. 12, X. (I. 33).
(4) S. Thomas, in IV, dist. 19, q. 1, a. 1, q. 3 ad 4 ; d. 25, q. 2, a. 1, q. 1 ad 2 ; Paludanus, in IV dist. 19, q. 2, a. 1 ; Silvestro, v. « Abbatissa », n. 1 ; Sotus, in IV dist. 20, q. 1, a. 4.

ratione dignitatis munerisve publici, quo fungitur, facit, id ordinaria auctoritate, non commissa, facit. Dicunt insuper *Glossa* et Abbas in illo cap. *Dilecta* cit., posse iure abbatissam ecclesias et beneficia suo monasterio subiecta conferre. Vera esse haec sententia videtur... sed hoc non negant S. Thomas, Paludanus et alii theologi, quando haec iurisdictio convenit praefectae monialium ratione monasterii, cui praeest ».

Defensores istius sententiae arguunt etiam ex facto, quia « historice constat quasdam abbatissas habuisse territorium separatum et iurisdictionem quasi episcopalem : Conversani in Italia (usque ad annum 1751 ; cfr. Bizzarri, 290) (5) ; Las Huelgas prope Burgos in Hispania (usque ad annum 1849 ?) ; Fontis Ebraldi in Gallia ; alias forte alibi » (6).

2. Ferraris (7) contrariam defendit sententiam. Dicit enim : « Abbatissa, quamvis non habeat facultatem commutandi ac dispensandi in votis suarum monialium, quum hoc pertineat ad spiritualem iurisdictionem, *cuius ipsa est incapax*, tamen facultatem habet irritandi vota ipsarum, quum hoc spectet ad potestatem dominativam, quae competit abbatissae in moniales subiectas, magis quam competat parentibus in filios... Abbatissa potest praecipere monialibus in virtute s. obedientiae, non potestate iurisdictionis, *quam non obtinet*, sed potestate dominativa spirituali, quam vi voti ei tradunt moniales... Abbatissa potest instituere beneficia et cappellanias conferre... quia hoc praestat abbatissa quoad titulum et possessionem tantum, non autem quoad potestatem, quam

---

(5) In *Castellana*, Iurisdictionis et iurium Abbatissae Conversani inter alia hoc dubium 5 propositum est : « An, supposita iurisdictione abbatissae et consuetudine immemorabili, clerus Terrae Castellanae, quoties creatur nova abbatissa, teneatur se transferre ad monasterium S. Benedicti Conversani, et intus habitu clericali accedere ad ianuam interiorem dicti monasterii, ibique flexis genibus deosculari manum ipsius abbatissae sedentis sub baldacchino cum pastorali et mitra », et responsum est die 22 iun. 1708 : « Negative, sed praestanda esse alia obsequia a S. C. declaranda » ; et die 19 iul. 1709, reproposita causa, iterum responsum est : « Quoad obsequia ad mentem : videlicet nihil innovandum, subrogata tamen profunda inclinatione loco genuflectionis et excepto osculo manus nudae ; mitram autem et baculum retinenda super mensam positam a latere abbatissae ». Quae omnia statuta sunt provisorie, seu « interim per modum provisionis usque ad exitum causae ut responsum est ad 5 ».

(6) Ita Chelodi, *Ius de personis*, 109, n. 2 ; et cfr. Petra, *Comm. in Const. 7 Urbani IV*, n. 64.

(7) *Prompta bibl.*, v. « Abbas », n. 60 sqq.

habet beneficiarius, quoad iurisdictionem fori externi ; nam hoc accipit ab episcopo seu praelato, qui admittit et auctorizat collationem et institutionem ; et tota abbatissae institutio et collatio in nominatione consistit... Et sic abbatissa est capax conferendi parochialem et parochum nominandi et instituendi, quem ordinarius ad regimen animarum idoneum approbaverit... Potest etiam abbatissa cum legitima causa privare clericos sibi subiectos beneficiis iam illis collatis, auferendo scilicet, quod illis dedit, nempe titulum et possessionem ; nam posita hac ablatione censetur Pontifex auferre ius spirituale. Quia sicuti beneficium confertur dependenter a designatione abbatissae et collatione tituli et possessionis, ita etiam censetur conservari iurisdictio a Summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublatis etiam reliqua alia tolluntur... Non potest tamen abbatissa ipsos clericos suspendere, prout suspensio est censura ecclesiastica, sicut neque interdicere aut excommunicare, quia *caret spirituali iurisdictione* ».

3. Sententia verior ea videtur, quam tuetur PELLIZARIUS (8) post SANCHEZ (9), secundum quam feminae non tantum a statu clericali et ab ordinibus sunt exclusae, verum etiam ab exercitio iurisdictionis ecclesiasticae, a docendo aliisque functionibus ecclesiastici cultus ordinarie prohibentur (10). Quod vero attinet ad abbatissas, conferenda sunt c. 4 *de arbitris* X. (I. 43) (11), c. 10 *de poe-*

---

(8) *Tract. de monialibus* (Bononiae, 1644), c. 10, n. 117, postquam dixit abbatissam non habere nisi potestatem domesticam ac civilem, qualem habet mater familias in filios et magistratus in cives, non autem potestatem spiritualis iurisdictionis ordinariae, propositae sibi quaestioni : « an abbatissa saltem sit capax iurisdictionis spiritualis delegatae et quasi ex commissione », respondet : « esse capacem, non quidem ex commissione, quae illi fiat ab ordinario vel a praelato regulari..., sed tantum ex commissione, quae illi fiat a Papa. Ita in terminis SANCHEZ et alii... Patetque ex eo, quod quum femina sit incapax spiritualis iurisdictionis, non iure divino sed humano, nempe iure canonico..., poterit quidem Papa committere aliquam iurisdictionem spiritualem abbatissae, sic dispensando in iure communi : id tamen praestare non poterit neque ordinarius neque praelatus regularis, utpote qui nihil efficere possunt contra ius commune ac communem Ecclesiae usum. Quamvis BARTHOLOMAEUS DE LEDESMA relatus a SANCHEZ neget, talem commissionem fieri posse a Papa, eo quod putet, feminam esse incapacem iurisdictionis spiritualis de iure divino, in quo constat Papam non posse dispensare ».

(9) *In praec. decal.*, VI, 1, 117.

(10) c. 25, 29, D. XXIII ; c. 17, C. XXXIII, q. 5.

(11) In c. 4 de arbitris dicitur, feminas, quae alias habent iurisdictionem de iure communi seu de consuetudine, esse posse arbitras in rebus etiam Ecclesiae temporalibus.

nit. X. (V. 38) (12) et *Glossa* in hoc cap. v. « Praedicare ». MUENCHEN (13), cum *Glossa*, verba c. 12 *de maior. et obed.* X. (I. 33) : « Dilecta... abbatissa... quum ipsa plerumque canonicos suos et clericos *suae iurisdictioni* subiectos... officio beneficioque *suspendat*... » explicat de iurisdictione non proprie dicta (« nie das kirchliche Imperium und die eingentliche Jurisdiktion »), sed de *aliquali* iurisdictione (« sondern nur eine nachgebildete, eine analoge »). *Glossa*, v. « Iurisdictioni » dicit : « Dicas, quod abbatissa habet iurisdictionem *talem qualem*, non ita plenam, sicut vir habet... Et potest dici quod nec ab officio potest suspendere, nec interdicere, quia et hoc pertinet *ad claves* ». GONZALEZ (14) autem, explicans cap. 12 cit., dicit difficultati, quae exinde deducitur, satisfacere SUAREZ (15) et HUGOLINUM (16) : « dicendo Honorium in praesenti non approbare suspensionem latam ab abbatissa (17). imo potius iubere iudici delegato ut exsequeretur monita abbatissae, non autem ut ipsa per se interdictum apponeret, sed ad eius petitionem iudex delegatus (SUAREZIUM et HUGOLINUM sequuntur CASPAR, *de ecclesiastica hierarchia*, d. 9. 2, BARBOSA, hic in fin., HALLERIUS, ubi supra pag. 518). Sed rectius responderi potest, interdictum et suspensionem in hoc textu non importare censuram ecclesiasticam, sed lato modo accipi pro simplici quadam prohibitione facti potius quam iuris, qua presbyteris prohibetur in suis beneficiis aut cappellaniis ad tempus deservire. Ita docent plures relati a BARBOSA, hic num. 5, TAMBURINUS, disp. 32, quaestion. 5, DIANA, art. 8, tr. 1, resol. 39 ».

Quae omnia ex eo etiam confirmantur, quod in textu expresse dicitur abbatissa non posse in eos excommunicationis sententiam dicere.

---

(12) « Nova quaedam nostris sunt auribus intimata, quod abbatissae moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt et legentes evangelium praesumunt publice praedicare. Quum igitur id absonum sit, pariter et absurdum, mandamus, quatenus, ne id de cetero fiat, curetis firmiter inhibere. Quia licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi sed istis Dominus claves regni coelorum commisit ». Caput est INNOCENTII III ad episcopos Valentinum et Burgensem.

(13) *Das kanon. Gerichtsverfahren u. Strafrecht*, I, pag. 69. MUENCHEN dicit eam esse potestatem *oeconomicam* et *disciplinarem* in eos qui de monasterio erant.

(14) *In Decret.*, cap. *Dilecta*, de maior. et obed.

(15) *De censuris*, tom. V, disp. 2, sect. 3, n. 6.

(16) *De censuris*, tab. 2, cap. 2, § 7.

(17) Cfr. PETRA, *In const. 7 Urb. IV.*, n. 52.

EXCURSUS II ad can. 118.

De clericorum immunitatum origine.

1. Antequam in particulari tractemus de clericorum immunitatibus, logice agendum est de earum origine. In hac autem quaestione duo sunt probe distinguenda. Aliud est enim sermonem facere de immunitatibus ipsius Romani Pontificis, aliud de immunitate aliorum clericorum. Priusquam vero de duabus his quaestiones agamus, quaedam sunt praenotanda :

a) Immunitas definitur : « Privilegium, quo res quaedam aut persona a communi aliqua obligatione seu onere eximitur » (1). Quam definitionem explicans SUAREZ (2) dicit privilegii nomen hic lato sensu sumi, quatenus comprehendere potest ius aliquod naturale vel divinum alicui specialiter conveniens comparatione aliorum.

b) Contra ecclesiasticam immunitatem dupliciter fieri potest. Potest enim quis privata auctoritate contra Ecclesiam agere ; potest quis hoc idem facere titulo publicae potestatis et iurisdictionis (3). Ille magis proprie *immunitatem* ecclesiasticam, hic ipsam ecclesiasticam *libertatem* violat (4).

c) Quum agatur in hac quaestione de titulo, quo Romano Pontifici aliisque clericis competat immunitas ecclesiastica, titulus autem iste sit profecto aliquod ius, notandum, ius dividi in divinum, ecclesiasticum et civile, prout obligatio legis imponitur sive ab ipso Deo immediate legem condente, sive ab Ecclesia quae legem fert auctoritate a Deo accepta, sive a legitima potestate civili. Ius autem divinum aliud *naturale* est, aliud *positivum*. Porro nota in hac quaestione nos cum PALMIERI (5) usurpare hanc

---

(1) SUAREZ, *De defens. fidei cath.*, lib. IV, c. 1., n. 2; cfr. l. 18 de verbor. signif. D. (L. 16).

(2) Loc. nuper cit.

(3) SUAREZ, loc. nuper cit., n. 8.

(4) Cfr. SUAREZ, loc. cit., qui hac distinctione supposita explicat verba Benedicti XI in c. 1 de privilegiis (V. 7) inter Xvag. comm., ubi referens casus reservatos distincte numerat « Ecclesiarum immunitatis et ecclesiasticae libertatis violatores ». Cfr. etiam PALMIERI, *De Rom. Pontifice*, th. XXIV, qui hanc refert distinctionem eamque approbat, advertens illum vere contra alicuius libertatem agere, qui non solum non obedit, sed alium in servitutem redigere eique onus servitutis imponere vult et conatur.

(5) Loc. cit.

expressionem « ius divinum naturale » non respectu naturae humanae in sua pura conditione spectatae : nam hoc modo per se notum est hanc clericorum exemptionem non esse de iure naturali ; sed naturale in praesenti dici id quod est connaturale alicui supernaturali dignitati collatae, idest quod, posita tali dignitate, secundum rectam rationem ex illa necessario sequitur.

2. His suppositis, prius quod ad *Romanum Pontificem* quaestio pertractanda est.

Quod ad hoc autem imprimis advertendum est, nos hic loqui de Romano Pontifice exclusive prout talis est ; idest non loquimur de casu, in quo secundum connaturalem exigentiam, quam ad principatum civilem habet saltem in quibusdam circumstantiis, illo de facto potiatur ; tunc enim haec immunitas sequeretur etiam ex natura rei, sicut in aliis regibus, qui exempti sunt vi sui status, quia non habent superiorem. Quare nos consideramus Pontificem solummodo quatenus est Pontifex, praescindendo a quacumque regia civili dignitate, quam de facto habeat vel ad quam habeat ius.

In hoc sensu autem affirmamus, Romanum Pontificem ex iure divino naturali habere exemptionem et immunitatem ab omni iudicio ac iurisdictione seculari, etiam imperatorum et regum. Et hoc universa traditio et ius canonicum proclamant. Sane Concilium Romanum sub Silvestro Papa, can. 20 : « Nemo, inquit, iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede iustitiam desiderant temperari ». Et ne quis existimet Concilium loqui de sola potestate spirituali, subditur statim : « neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus neque a populo iudex iudicabitur » (6). Et Concilium Tridentinum sess. XXV c. 20 *de ref.* docet « personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam ». Unde bene argumentatur Palmieri (7), hanc immunitatem Romano Ponti-

(6) Eadem fere verba habentur ex Innocentio Papa in c. 13, C. IX, q. 3. Cfr. etiam c. 6, dist. 40; cc. 49, 53 de sent. excomm., etc., X. (V. 39); Bullam Leonis X in sess. IX Conc. Later. *de reformatione, etc.* Hinc etiam Platina in vita Leonis III refert Carolum Magnum, quum Romam venisset, ubi contra Leonem III exorta erat seditio, populum et clerum episcoporum omnium qui Romam ex Gallia et Italia convenerant de vita et moribus Pontificis rogasse, hos autem omnes una voce respondisse: Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput a nemine, praesertim laico, iudicari debere. Cfr. Suarez, l. c., c. 4, n. 4.

(7) Loc. cit.

fici competere de iure divino. Si enim personarum ecclesiasticarum, et proinde ipsius quoque Romani Pontificis, immunitas canonicis sanctionibus constituta est, necesse est ut Romanus Pontifex antecedenter ad suam legem ab auctoritate civili esset immunis ; neque enim si civili auctoritati fuisset subiectus, potuisset sua auctoritate ab ea se subtrahere. Quae si vera sunt, profecto patet, Romanum Pontificem hac immunitate gaudere iure ipso divino.

Suarez (8) autem hanc veritatem probat supposito facto exemptionis. Quia, ut dicit, neque hanc immunitatem a quavis civili iurisdictione ausus esset Romanus Pontifex sibi arrogare, neque admissa fuisset sine ulla vi ab Ecclesia et principibus christianis, neque Pontifex petere eam iure potuisset, nisi ad hoc potestatem haberet a Christo Domino. Quod si a Christo habet potestatem declinandi omnem civilem iurisdictionem, profecto iure divino ab ea exemptus est. Neque credibile est Romanum Pontificem hoc ius ab imperatoribus habuisse. Nam in synodo romana immunitas illa statuitur adversus omnes ; imperator autem non poterat eam concedere adversus reges et populos non sibi subditos. Et praeterea concilia et Pontifices fundant hanc immunitatem omnimodam in praeeminentia sedis romanae, non in voluntate imperatorum ; quare deducunt, immunitatem ipsam esse perpetuam et immutabilem.

Hoc ipsum autem confirmatur ex ipsa natura pontificiae potestatis. Attente enim consideranti clarissime patebit, Romanum Pontificem, quum sit caput Ecclesiae, quae est societas perfecta et suprema, nullo modo subdi posse cuicumque alteri potestati. Societas enim suprema habet indirectam quidem sed veram potestatem in alias societates (9), qua nempe stante necessitate potest eas cogere ut suo, idest societatis supremae, fini inserviant eumque certe non impediant. Porro si Romanus Pontifex hanc habet iurisdictionem in quoscumque reges, praecise quia est Romanus Pontifex ; ergo nemini potest esse subiectus. Consequentia patet tum ex eo quod minime decet Romanum Pontificem, cui omnes reges subduntur, posse ab iis iudicari et puniri ; cum quia secus non potuisset Romanus Pontifex debita cum libertate uti

(8) Loc. cit., c. 4, n. 5.

(9) Palmieri, o. c., th. xxi ; Cavagnis, *Instit. iur. pub. eccl.*, I, l. I, c. 3, a. 3, pr. 4; Milita, *De Ecclesiae potestate indirecta dissertatio*, n. 17 sqq.

auctoritate sua in reges et principes ad finem Ecclesiae consequendum (10); cum praesertim quia ex indirecta potestate Romani Pontificis in principes civiles sequitur posse eum sese eximere ab eorum auctoritate (si nempe principes civiles hanc auctoritatem in eum haberent), quum haec exemptio sit valde rationabilis et maxime conducat ad finem Ecclesiae. Hoc autem perinde est ac Romanum Pontificem exemptum esse ex auctoritate, quam obtinet; nam, ut notat SUAREZ (11), qui in sua voluntate et facultate habet non subdi alterius coactioni, profecto est immunis et exemptus (12). Hinc LEO XIII, protestationem emittens contra novum Codicem poenalem regni Italici, in allocutione habita kal. iun. a. 1888 solemni oraculo dixit: « Princeps omnium (ecclesiasticorum magistratuum est) Romanus Pontifex universae Ecclesiae divino iure praepositus, idemque Dei solius potestati iudicioque subiectus ». Et haec de Romano Pontifice sint satis dicta.

3. Nunc investigandum est quo iure *aliis clericis* immunitas a laica iurisdictione competat. Et in hoc doctores in diversam abeunt sententiam. Sunt enim qui loquentes de particularibus determinationibus, quibus haec immunitas specificatur, ut de privilegio fori, de exemptione a tributis, etc., eas repetunt ex iure divino saltem naturali, idest connaturali statui et dignitati clericali (13). Sunt alii qui contra putant immunitatem clericorum derivandam esse solummodo ex iure quodam canonico (14). Haec quidem inter catholicos; regalistae enim omnem clericorum immunitatem vigere volunt solummodo ex iure civili.

---

(10) SUAREZ, l. c., n. 9.

(11) Loc. cit., n. 10. Hoc idem argumentum egregie, suo more, evolvit PALMIERI, l. c., th. XXIV, II.

(12) Haec de ipso iure immunitatis Romani Pontificis in se spectato. Si autem quaestio sit de huius iuris exercitio, notandum, illud non esse absolute necessarium Ecclesiae, nempe ut Ecclesia *sit*, et patet exemplo priorum seculorum, esse autem necessarium ut Ecclesia *bene sit*; ut autem non solum sit sed et bene sit, ius habet Ecclesia divinitus concessum. Quare utilitas Ecclesiae requirit ut eius supremum caput possit de facto suum ius immunitatis exercere, idest possit de facto esse immunis a quavis civili iurisdictione. Cfr. PALMIERI, loc. nuper cit., V.

(13) BELLARMINUS, *De clericis*, lib. I, cc. 29, 30; FAGNANUS, in cap. 10, tit. 2, lib. I Decr. n. 10 sq.; PIRHING, in tit. 2, lib. II Decr. n. 107; LAYMANN, *Th. moral.*, lib. IV, tr. 9, c. 8, n. 1.

(14) COVARRUVIAS, *Pract. quaest.*, c. 31, concl. 2; LESSIUS, *De iust. et iure*, lib. II, c. 33, dub. 14; MOLINA, *De iust. et iure*, tr. 1, disp. 31, concl. 1 et 2; BARBOSA, *Iur. can. univ.*, lib. I, c. 39, § 2, n. 1; CASTROPALAO, *De relig.*, tract. XII, punct. 1, nn. 2, 19, etc.

Regalistarum rationes ad has ferme reduci possunt : lege civili concessam fuisse immunitatem, et canones ad eam appellare, quando eius observantiam urgent ; in Scripturis apud MATTHAEUM, XXII, 21, dici : « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari », et apud PAULUM, *Rom.* XIII, 1 sqq. : « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit... Dei enim minister est (princeps civilis) » et apud PETRUM, I, II, 13 : « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi tamquam praecellenti »; AMBROSIUM vero (15) dicere : « Si tributum petit (imperator) non negamus. Agri Ecclesiae solvunt tributum. Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum ; nemo nostrum intervenit » : membra duarum societatum teneri legibus utriusque.

Haec regalistarum sententia est omnino reiicienda. Habemus in *Syllabo* PII IX propositionem 30^am^ damnatam sic sonantem : « Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit », quam propositionem PIUS IX praedamnaverat in suo brevi « Multiplices inter » 10 iun. 1851. Quod iure factum est, quum regalistae ducti odio in Ecclesiam Christi vel saltem plagiario quodam cultu erga reges, duas confundunt quaestiones maxime inter se distinctas ; quaenam nempe fuerit historica origo harum immunitatum, et quinam sit earum titulus iuridicus. Si enim agatur de historica origine harum immunitatum, certum est eas ex iure civili ortum habuisse. Nam semper quidem Ecclesia curavit, ut causae inter clericum et clericum (16), sive etiam inter clericum et laicum (17), in foro ecclesiastico dirimerentur, ut testes habemus Concilium Hipponense (a. 393) et Concilium Chalcedonense (a. 451), nec non plures textus in Decreto relatos, ut in notis innuimus ; sed hoc non obtinuit per legem prohibentem civilibus potestatibus exercitium suae iurisdictionis, verum per iniunctionem aut saltem per impulsivam quamdam suasionem suis fidelibus factam. Primi fuerunt imperatores christiani (18), qui

(15) *Serm. contra Auxentium*, n. 33 (M. P. L., XVI, 1017).
(16) Cfr. cc. 6, 10, 39, C. XI. q. 1, etc.
(17) Cfr. cc. 15, 26, 38, 40, C. XI. q. 1, etc.
(18) Cfr. Nov. Iust. de sanctissimis episcopis, etc. (Const. CXXXIV), cc. 2, 21. CONSTANTINUS quidem de exemptione clericorum a foro seculari et de aliis immunitatibus personalibus leges speciales non tulit, excepta deobligatione a publicis quibusdam muneribus (cfr. *Cod. Theodosianum*, ll. 1, 2, 7, de episcopis, etc., XVI, 2) ; et suis constitutionibus tantum concessit Ecclesiae favorem ut practice et de facto clerus tum a secularibus tribunalibus fuerit exemptus, cum multas alias habuerit immunitates. Idem sanxerunt VALENTINIANUS II, HONORIUS et GRATIANUS.

hoc desiderium et hanc voluntatem Ecclesiae legibus firmarent. Quare huiusmodi immunitates primo quidem iure imperatorio, sanciente vota Ecclesiae et determinante id quod status ecclesiasticus sua natura expostulabat, viguerunt. Has immunitates grato animo acceptas a christianis imperatoribus sanxit Ecclesia suis legibus (19), et quod iam pridem sine ulla imperatorum concessione sibi potuisset ascribere, postea sponte oblatum sua auctoritate munivit. Quare ex tunc privilegium immunitatis non solum vim habuit ex lege imperatoria, quae valide saltem ab auctoritate imperatoria cassari aliquando potuisset, sed etiam ex vera lege ecclesiastica, quam proinde delere civilis potestas numquam est valitura. Et hoc ipsa Ecclesia sua agendi ratione confirmavit ; semper enim restitit, et violati iuris ream dixit societatem civilem, quando huiusmodi immunitates ab ipsa, Ecclesia inconsulta, abrogari voluerunt. Quod iure non fecisset, si omnem vim suam eiusmodi immunitates a lege civili haberent.

Nec dicendum Ecclesiam tunc defendisse id, quod status ipsi concesserat. Ecclesia enim has immunitates, quas historice ab auctoritate civili acceperat, defendendo et suis legibus muniendo, eas sibi ascribit ex nativo iure, quod habet ex Christi institutione, ut supernaturalem suum finem perfecte consequatur.

Quare, si quaeramus quo iure nunc vigeat et a pluribus seculis viguerit hoc ius, respondendum profecto est, illud non vigere tantummodo legibus civilibus, sed saltem ecclesiasticis sanctionibus.

4. Quod ad catholicos vero duae, ut diximus, dantur sententiae. Alii tenent immunitates omnes clericorum, etiam in individuo sumptas, ut exemptionem a tributis, immunitatem a foro civili, etc., esse de iure divino. Hi argumentum sumunt pro sua sen-

---

Hoc ius tantisper immutatum a VALENTINIANO III (qui abolevit privilegium fori), a MAIORANO statim redintegratum, viguit postea semper (cfr. CAVAGNIS, o. c., p. II, lib. I, c. 8, art. 3; BIANCHI, *Polizia esteriore della Chiesa*, lib. IV, c. 3, § 3) sub romanis christianis imperatoribus. Eadem, quae in iure romano, plus minus et inter populos germanicos et francicos locum habuere. Inter hos populos facilius permissum fuit clericis adire forum civile, saltem de sententia episcopi. Seculo VIII et IX iam melius statuitur haec immunitas tum in sacris canonibus (cfr. resp. NICOLAI I ad consulta Bulgarorum), cum in legibus civilibus (cfr. *Capitul. eccl. Caroli Magni*).

(19) Has leges recensebimus in particulari, quum de singulis exemptionibus sermo erit.

tentia primo quidem ex omnibus locis iuris, in quibus dicitur aliquo tandem modo has exemptiones esse de iure divino ; inter haec loca iuris citant praesertim c. 14 C. XI. q. 1, in quo ALEXANDER PAPA de violatoribus ecclesiasticarum immunitatum dicit : « Taliter praevaricantes praevaricati sunt in Deum suum et non obediunt praeceptis eius ». Arguunt praeterea ex Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III, in quo dicitur : « Nimis de iure divino quidam laici usurpare nituntur, quum viros ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad praestandum sibi fidelitatis iuramentum compellunt » ; nec non ex Concilio Lateranensi V sub Leone X, ubi haec habentur : « Quum a iure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas tributa sit, etc. » ; et tandem ex Tridentino sess. XXV, c. 20 *de ref.*, cuius verba superius retulimus.

His addunt motiva quaedam ex ratione deducta, praecipue rationem totalis dedicationis personae ecclesiasticae servitio divino, et locum evangelii ex MATTH., XVII, 25, in quo Christus Dominus Petro ab exactoribus tributi interrogato, utrum magister solveret didrachma, respondit affirmando filios regis liberos esse a tributo.

Qui contra putant, immunitates huiusmodi procedere ex solo iure humano ecclesiastico, suam sententiam probant argumentis negativis et positivis.

Negative quidem, quia nec auctoritate nec ratione satis probatur hoc ius divinum ; praecepta autem iuris divini sine Scripturarum testimonio satis certo aut saltem ratione omnino cogente admittenda non sunt. Testimonium autem certum quod ad hoc habetur nullum. Illud enim quod supra afferebatur ex MATTHAEO non est efficax. Nullo enim modo probatur ibi agi de tributo civili. Imo S. HILARIUS (20), BARONIUS (21), CALMET (22), KNABENBAUER (23), PALMIERI (24), BÉURLIER (25), KORTLEITNER (26) et recentiores fere

(20) *Comm. in Matth., loc. cit.*, n. 10 (M. P. L., IX, 1017).
(21) Ad annum 33, n. 30.
(22) *Comment.*, in h. l. Matth., Venetiis 1732, p. 189.
(23) In hunc locum Matthaei.
(24) *De Rom. Pont.*, Proleg., § XIX, VIII, d.
(25) In *Diction. de la Bible.* v. « Capitation ».
(26) *Archaeol. bibl. summ.*, Oeniponte, 1906, pag. 26.

omnes pro certo habent agi hic de tributo religioso (27). Negant etiam dari rationem ullam cogentem, quae hoc probet, quum omnes, quae adducuntur, non ius divinum sed convenientiam quamdam inferant has immunitates stabiliendi.

Positive autem sententiam suam statuunt hac praecipue ratione, numquam nempe licere id, quod est contra ius divinum ; subiectionem autem his exemptionibus contrariam, ut aliquando in causis feudalibus, et quum clerici brachio seculari puniendi traduntur, saepe licere.

5. Tenenda autem nobis videtur sententia inter utramque priorem media, et dicendum, immunitatem, quatenus dicit generatim speciale ius in clericis, ut non eodem modo tractentur ac laici, atque a divino servitio animarumque ministerio distrahantur, idest immunitatem sic in abstracto sumptam, esse de iure divino. Quatenus vero dicit exemptionem a seculari iurisdictione secundum omnes determinationes, quae in sacris canonibus inveniuntur, esse a iure pontificio applicante ius divinum et determinante in individuo quid requiratur, ut clerici suum ministerium convenienter exerceant.

Primum sequitur ex natura ipsa status et ministerii ecclesiastici, quod et peculiarem libertatem a secularibus negotiis requirit, et speciale decus, quo ei aestimatio et reverentia laicorum concilietur. Alterum ex hoc, quod scimus de facto has immunitates in specie praescriptas fuisse iure canonico ; nullo autem modo probatur eas esse ex iure divino, ut probant argumenta secundae sententiae, excepta maxima convenientia, quae habetur, ut huiusmodi immunitatibus clerici fruantur, eaque fundatur in dignitate, ad quam a Deo evecti sunt, et in ministeriis, quae illis Deus credidit.

---

(27) Et re quidem vera scimus didrachma, duas drachmas seu dimidium siclum, quemque israelitam ab anno vitae vicesimo quotannis in usum templi solvere debuisse et fuisse in provincia exactores seu mensarios ad hoc tributum colligendum et Hierosolymas mittendum; quare hoc vectigal erat Deo solvendum. Nescimus autem didrachma ab unoquoque Iudaeo romano imperatori debuisse persolvi. Hoc autem melius evincitur ex responsione Christi: se nempe, utpote Filium eius cui tributum debebat solvi, liberum esse a tributo, quum nemo regum a filiis exigat tributum, sed ab alienis. Quae argumentatio clara est et obvia; contra in sententia adversariorum, qui volunt hic agi de tributo civili, nulla de facto evadit argumentatio Christi. Christus enim non erat filius Augusti, qui tributum imponebat, nec ex eius discursu sequebatur eum a tributo Augusto solvendo liberum esse ut filium Dei aut Davidis.

Et sic optime explicari possunt verba Concilii Tridentini, quod in fine sess. XXV, *de ref.*, seculares principes inter alia hortari voluit, ut non permitterent officiales aut inferiores magistratus violare Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam. Immunitas enim clericorum vere constituta dicitur Dei ordinatione, quatenus in genere consideratur, et canonicis quoque sanctionibus, quatenus sumitur in suis determinationibus.

Et hac eadem ratione sumendi sunt textus desumpti ex Conciliis Lateranensibus IV et V, in quibus praeterea dubitari potest ius divinum sumi pro iure canonico (28). Nec magis probat illud, quod afferebatur ex can. 14 C. XI q. 1. Etiamsi enim hae immunitates specifice consideratae procedant solummodo ex iure canonico, vere, qui eas non observant, praevaricantur in Deum suum, quia spernunt mandata Ecclesiae, quae a Deo habet auctoritatem et quae suis hisce legibus ius quoddam divinum indeterminatum applicavit.

6. Et haec nostra sententia confirmatur etiam ex hoc, quod quum Ecclesia per concordata vel tacitam acquiescentiam de iure suo remittit vel usurpationem tolerat, non videtur dici posse, eam auctoritatem tribuere laicae potestati procedendi nomine suo, idest nomine ipsius Ecclesiae. Quis enim diceret hebraeum hominem vel gentilem, ut nunc vel de facto est vel certe esse potest in statibus etiam christianis, in iudicandis clericis de communibus delictis iisque puniendis, quod sibi licet ex concordato, agere nomine Ecclesiae et ecclesiasticam iurisdictionem exercere ? Nam praeterquamquod huiusmodi homines ex iure incapaces sunt omnino, quibus delegetur iurisdictio ecclesiastica, hoc plane aberrat a tenore talium conventionum et a modo, quo ab utraque parte acceptantur. Nec dicas tunc Romanum Pontificem dispensare in iure divino et civiles iudices procedere auctoritate et nomine proprio. Animadvertendum enim est, inter ea, quae iure divino praecipiuntur, quaedam esse, quae versantur circa pacta, con-

(28) Et vere in iure aliquando ius divinum pro iure canonico sumitur, praesertim quum iuri civili opponitur ius ecclesiasticum, ut videre est ex. gr., in capite 2° de privilegiis in 6°, ubi INNOCENTIUS IV « providimus, inquit, quod ibidem (in scholis nempe romanis) de cetero regatur et vigeat studium iuris divini et humani, canonici videlicet et civilis »; nec non in capite 1° de iuramento calumniae X. et alibi.

ventiones et obligationes, quae per humanas voluntates introducuntur, ut sunt leges de servandis votis, etc. Alia vero sunt quae immediate obligant in suis materiis independenter ab omni praevio consensu voluntatis humanae, ut sunt non solum leges negativae non occidendi, etc., sed etiam leges positivae religionis erga Deum, pietatis erga parentes, misericordiae et eleemosynae erga proximum et aliae huiusmodi. Porro his secundis, non primis, annumeraretur ista obligatio iuris divini quod ad exemptionem clericorum a foro civili, a tributis, etc., si qua esset. Scimus autem in his, quae sunt iuris divini, Romanum Pontificem dispensare quidem posse, quando agitur de obligationibus iuris divini, quae oriuntur ex voluntate humana, non autem in aliis, ut longe maxima pars theologorum et canonistarum tradit ; in his enim, et quidem non in omnibus, Romanus Pontifex ita dispensat, ut potius declaret ius divinum tunc cessare. Quis vero dicet ius divinum exemptionis clericorum a foro civili et aliarum huiusmodi immunitatum tunc cessare, quum Romanus Pontifex debet permittere atheis imperantibus clericos iudicare vel quando acquiescere debet usurpationi illius iuris a civilibus potestatibus factae ? Melius profecto et magis rationi consentaneum est dicere, manente semper illo divino iure, quo clerici debent aliter tractari ac laici, ut ministerium suum melius et efficacius exerceant, Ecclesiam per Romanum Pontificem renuntiare illi privilegio, quod suis clericis concedi deberet (29).

Quae autem afferunt regalistae pro sua sententia iam sunt ex dictis refutata, quia vel in his confundunt quaestionem historicam cum quaestione iuridica, vel ultra praemissas deducunt conclusiones. Ad illud autem Ambrosii dicendum, S. Doctorem

---

(29) Huic sententiae astipulari videtur ipse S. Thomas, *in ep. ad Romanos*, 13, lect. 1, asserens sacerdotes esse immunes a tributis solvendis concessione principum, consentanea aequitati naturali, et ab ipsa Ecclesia confirmata. Nota autem, nostram sententiam non esse confundendam cum ea, quam recte impugnat Cavagnis. op. cit., p. II, lib. 1, n. 123, dicentium nempe has immunitates generice quidem sumptas competere clericis ex iure divino, sumptas autem in specie, seu quatenus sunt determinatae, procedere ex iure canonico. Bene enim advertit Cavagnis, quod si agatur de his immunitatibus, quatenus nempe sunt hae et non aliae, absurde dicitur quod indeterminate sumptae sunt ex iure divino; impossibile enim est indeterminate sumere non determinatum. Nos vero dicimus, clericos ex iure divino habere ut non deturbentur a suo ministerio et ratione huius habeantur aliter ac laici; hoc autem esse fundamentum, cur has immunitates, potius quam alias, Romanus Pontifex decerneret clericis tribuendas a potestatibus civilibus.

loqui de feudis tributariis, quae nempe specialiter erant obligata reipublicae, quippe quae essent a republica privatis speciali sub censu concessa (30).

CANON 119.

Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint.

1. ***Omnes fideles debent clericis... reverentiam.*** — Ex dignitate et officio pascendi, quod habent, vel de quo participant clerici, sequitur evidenter fideles debere eis, quos patres agnoscunt et rectores, reverentiam et subiectionem.

2. ***pro diversis eorum gradibus*** — scilicet pro maiore vel minore gradu quem obtinent in hierarchia *ordinis* ; — ***et muneribus*** — seu pro diverso gradu in hierarchia *iurisdictionis*. Clericis scilicet est dignitas seu gradus ex potestate ordinis, iurisdictio ex potestate iurisdictionis. Porro dignitati seu gradui aut maioritati ratione muneris honorifici debetur reverentia ; iurisdictioni obedientia (1). Reverentia autem vel obedientia alia est pro maiore vel minore potestate ordinis aut potestate iurisdictionis.

3. ***seque sacrilegii delicto commaculant.*** — Porro *sacrilegium* secundum omnes est « rei sacrae violatio » (2) ; et si rei, multo magis *personae*. Debetur enim « reverentia rei sacrae ratione sanctitatis. Et ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est quod sacrilegii species distinguantur. Tanto enim

(30) Cfr. CAVAGNIS, l. c., p. II, lib. I, n. 125.

(1) Cfr. in *Decretalibus* titulum de maioritate et obedientia in libro primo.

(2) S. THOMAS, 2. 2, q. 99, a. 1, c. ait: « Resp. dic. quod... sacrum dicitur aliquid ex eo quod ad divinum cultum ordinatur. Sicut autem ex eo quod aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni; ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum; et sic ei quaedam reverentia debetur quae refertur in Deum. Et ideo omne illud quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam Dei pertinet, et habet sacrilegii nomen ».

sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem. Attribuitur autem sanctitas et personis sacris, idest divino cultui dedicatis, et locis sacris et rebus quibusdam aliis sacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis... Et ideo gravius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum » (3).

Peccatum vero quo peccatur contra personam sacram dimetiri possumus vel *subiective*, in quantum illud consideramus in persona sacra peccante, vel *obiective* seu *materialiter*, in quantum consideramus in ipso actu peccaminoso. Ad primam speciem pertinet fornicatio illius, qui ligatus est voto castitatis et alia huiusmodi. Inde est quod aliquando Patres sacrilegium dixerunt quidquid etiam minus bonum persona sacra committit. Quare, ut dicit S. Thomas (4) : « Hieronymus (Bernard. *de considerat.* lib. II ; c. 1.) dicit, quod " nugae in ore sacerdotis sacrilegium sunt vel blasphemia ,, » (5). Formaliter autem et proprie illud solum peccatum sacrae personae sacrilegium est, quod agitur directe contra eius sanctitatem, puta si virgo Deo dicata fornicetur. Tale etiam est sacrilegium quod committitur inferendo clericis realem iniuriam, in quo habetur sacrilegium *personae* (6). Quod sacrilegium personale contradistinguitur a sacrilegio reali et locali, ita ut quod ad speciem infimam triplex habeamus sacrilegium. Praeter sacrilegium hoc, scilicet personale, datur sacrilegium *locale*, quo laeditur locus sacer vel eius loci reverentia debita subtrahitur, et laeditur qua-

---

(3) S. Thomas, l. c., a. 3, c.

(4) Loc. cit., a. 3 ad 3.

(5) Verba Hieronymi in loco S. Bernardi citato, *De consider.* lib. II, c. 13, sunt: « Inter seculares nugae, nugae sunt, in ore sacerdotis, blasphemiae » (M. P. L., CLXXXII, 756).

(6) Scilicet *personali* violatur persona sacra seu persona Deo dicata aut eius cultui mancipata. Et quum haec dedicatio fiat professione religiosa vel ordine sacro, quippe his homo Deo mancipatur perpetuo, violatio personae regularis (monialis, ex. gr., aut religiosi professi) sacrilegium est. At vero sanctitas haec personae « non per omnia quidem sed quod ad *castitatem* servandam (aestimatur); hanc igitur foedare, vel sola cogitatione, sacrilegium est; sed unum tantum, licet aliquis et ordine et professione teneatur, quippe utrumque haec (Ecclesia) vetat *religionis* intuitu (S. Alphonsus, III, 455). *Non*, etc., ideo sacrilegium non est eis detrahere aut furari, quia nec existimatio nec res eorum sacrae sunt (S. Alphonsus, VII, 275 pr.). Nec si ipsi, v. gr., aliis detrahant, si inebrientur, sacrilegium erit: quia non suam sanctitatem laedunt, sed iustitiam, temperantiam, etc. (S. Thomas, 2. 2, q. 99, a. 3 ad 3) ». Ita D'Annibale, III, 14 et not. 11.

vis actione externa, etsi alias licita, ut puta nundinis, negotiatione, etc. ; non item interna, etsi forte illicita, ut puta mentiri, detrahere, furari (7). Datur insuper sacrilegium *reale*, et illud est « quo violatur quidvis aliud sacrum aut sanctum, sive 1° tale per se illud sit ; sive 2° ad nostram sanctificationem fiat ; sive demum 3° ad divinum cultum obeundum consecratum fuerit » (8).

Porro, his suppositis, qui clericum percutit, etc., vel etiam clerico realem iniuriam infert, is profecto sacrilegii personalis reus est ; ut dicebamus supra, et dicitur aperte in canone illis verbis, quae in praesenti commentamur.

Sed quaeri potest, quid tandem sit ista *realis* iniuria, quam si quis clerico intulerit, sacrilegii huius incurrit reatum. Cui quaestioni respondet lex 1 *de iniuriis et famosis libellis* D. (LXVII. 10) § 1 : « Iniuriam autem fieri LABEO ait, aut re, aut verbis ; re quoties manus inferuntur, verbis autem quoties non manus inferuntur, convicium fit ». Quare realem iniuriam alicui inferre, est in eum inferre manus, quod antiqui dicebant violentas manus in clericum inferre (9).

---

(7) SALMANTICENSES, XXI, 11, 24; D'ANNIBALE, l. c., n. 13; « *Externa*, licet occulta, quae probabilior sententia est (S. ALPHONSUS, n. 36); non item *interna*, quippe ea, quae intra nos sunt non attingit (SALM., XII, 24; S. ALPH., n. 43). Ceterum si quis secum ipse constituat patrare in ecclesia sacrilegum aliquid, v. gr., rixari, sacrilegio non vacat, quia actus interni et externi eadem et malitia et species est ». D'ANNIBALE, l. c., n. 15, not. 12.

(8) D'ANNIBALE, l. c., n. 16.

(9) Sed difficultas in eo esse potest, quomodo *re* inferri dicatur iniuria ; nam iniuria in personam tantum concipitur. Iustitia enim est virtus *ad alterum* seu circa ea quae sunt ad alterum (S. THOMAS, 2. 2, q. 58, a. 9 c.). « Nemo enim potest sibi ipsi inferre iniuriam aut reddere debitum, sicut nec potest sibi proprie reddere debitum, quum nihil possit facere nisi volens: scienti autem et volenti non potest fieri iniuria neque dolus ». LUGO, *De iust. et iure*, I, 19. Et vere sic est; et de iniuria in personam agimus, quando loquimur de iniuria in clericum *re* illata. Scilicet « variis modis iniuria infertur, puta re, verbis, litteris et consensu, ac vel ad corporis (scilicet quum quis pulsatur, vel contra eum levatae sunt manus; POTHIER, *Pand. Iustin.*, in lib. XLVII, tit. 10, n. XI), vel ad dignitatem (quum comes matronae abducitur; nam ad dignitatem matronarum romanarum pertinebat ut in publicum non prodirent absque comite; POTHIER, l. c., n. XII), vel ad infamiam (quum pudicitia attentatur seu quum ab aliquo id agitur ut ex pudico impudicus fiat; POTHIER, l. c., n. XIII sqq.). Realis iniuriae quum plurima in hoc titulo alibique occurrant exempla, operae pretium fuerit praecipua recensere, qualia sunt, si quis pulsatus aut verberatus fuerit, aut domus eius, quae tutissimum cuique refugium esse debet, per alium vi introita sit, sive propriam inhabitet, sive conductam, sive gratia concessam; vel etiam

4. Clericorum igitur percussores, qui hoc modo iis reverentiam detrectant, sacrilegii crimen incurrunt. Nec solum, sed quum canones in favorem horum clericorum propter eorum dignitatem plura statuerint, quaedam praesertim, quae pertinent ad eos servandos immunes et illaesos tam circa personas, quam circa res eorum, de praecipuis ex his aliquid est dicendum.

Scio equidem *privilegium*, quod *canonis* dixerunt antiqui, et pertinet ad eos servandos immunes ab iniuria personali, in eo tantum consistere, ut percussores clericorum incurrant excommunicationem aliasque poenas plus minusve graves pro dignitate clerici percussi, uti iam annotabat D'ANNIBALE (10), et proinde tota disputatio de hoc privilegio commode remitti posset ad can. 2343; quum tamen etiam ipse Codicis *index*, etsi sit opus mere privatum, privilegium tamen canonis, fori, exemptionis, clericorum privilegiis annumeret, non immerito hic de eo disputatio videtur fieri.

5. *Privilegium canonis*, quod hoc nomen sortitur propterea quod continetur in canone 15° Concilii Lateranensis II, insertum est in Decreto c. 29 C. XVII, q. 4, et his verbis effertur: «Si quis, suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat» (11).

---

in villa hortove degat (reliqua exempla quaere apud VOET, *Ad pandectas*, in libr. XLVII, tit. 10, n. 7, unde haec omnia desumpta sunt)... Verbis infertur iniuria, si quis cantitet aut praelegat carmen aut cantilenam pudorem alicuius laedentem, quae a Paulo *psalterium* dicitur (l. 16, § 17, in fin. D. h. t.)... Consensu denique iniuriam quis facit, si alteri iniuriam fieri mandet, aut generaliter procuret, ut alteri contumelia inferatur», VOET, l. c.

(10) *Theol. mor.*, I. 100.

(11) Iam antiquitus iure romano satis consultum fuit inviolabilitati physicae clericorum. Nam iniurias atroces sacerdotibus aut ministris factas iussum est ab ARCADIO et HONORIO «velut crimen publicum persequi ac de talibus reis ultionem mereri» (l. 10, de episcopis, etc., C. [I. 3]), imo a LEONE et ANTHEMIO statutum, ut hi qui contumeliis clericos ullos vexassent aut impulsionibus molestassent aut exprobrassent

Interpretatio huius canonis ad haec quatuor capita commode revocatur : *a*) quibusnam hic canon suffragetur, *b*) quibus minetur poenam, *c*) quam actionem prohibeat, *d*) quae sit poena quam canon minatur.

Suffragatur autem hic canon *clericis* (12) *et monachis* omnibus. Quare etiam excommunicati, suspensi, interdicti depositi verbaliter tantum (13), irregulares, hoc canone fruuntur. Nomine autem clericorum veniunt quicumque per primam tonsuram clero ascripti sunt (14) ; nomine monachorum intelliguntur religiosi omnes utriusque sexus (15), imo etiam novitii (16) et tertiarii (17).

---

conviciis, aut corporalibus iniuriis fatigassent, post amissionem cinguli et patrimonii, ultima protinus animadversione plecterentur (l. 33, n. 6, tit. cit. Cod.). Postea Ioannes VIII (872-882) voluit ut communione privarentur ii, qui ecclesiasticis personis iniuriam fecerint, donec admoniti satisfecerint legitime (c. 21, C. XVII, q. 4) ; quod prius iam praestiterat Nicolaus Papa (858-867 ; c. 23 caus cit.), et postea confirmavit aliisque sanctionibus roboravit Alexander II (1061-1073 ; c. 22 caus. cit.). Item praestiterunt Pontifices successores, Urbanus II in Concilio Lateranensi, a. 1097 (non oecumenico), et Innocentius II (1130-1143) prius in Concilio Claramontano a. 1130 et postea in Synodo Rhemensi a. 1131, ubi promulgavit nostrum canonem, qui deinde, ut diximus, in Concilio Lateranensi II ab eodem Innocentio confirmatum est. Nec defuerunt confirmationes et ampliationes posteriores (cfr. cc. 6, 7, 14, 19, 24 de sententia excommunicationis, etc., X. [V. 39]). Seriore aetate nonnullae praescriptae sunt conditiones ut clerici praesertim minorum ordinum hoc privilegio fruerentur (cfr. c. un. de clericis coniug. [III. 2] in 6°). Concilium Tridentinum, sess. XXIII, c. 6 *de ref.*, nihil immutavit quod ad privilegium canonis ; solummodo aliquas conditiones praescripsit pro privilegio fori. Barbosa, *Ius eccl. un.*, lib. I, c. 39, n. 3.

(12) Iure *Decretalium* etiam coniugatis, dummodo cum unica virgine, et deferrent habitum ac tonsuram clericalem (c. un. de cler. coniug. in 6°).

(13) c. 2 de poenis (V. 9) in 6°.

(14) Nam tonsurati vere in clericalem ordinem sunt admissi. Cfr. c. 11 de aetate, etc. X. (I. 14).

(15) cc. 10, 33, tit. cit. X. (V. 39). « Religiosi », inquam, non tantum « regulares » stricte dicti ; quare includuntur etiam religiosi *recentiorum Congregationum*, quae tamen aliquam habuerint approbationem ab Ecclesia, c. 614. Wernz, II, 165.

(16) c. 21 ss., 1 de sent. excomm., etc. (V, 11) in 6° ; c. nuper cit.

(17) Schmalzgrueber, *in tit.* 39 *lib.* 5 *Decr.*, n. 219. Sed hi debent collegialiter vivere seu cum claustralibus habitare. Cfr. Constit. Leonis X, « Dum inter », in Concilio Lateranensi, sess. XXI et c. 680. Quaestio fuit (nostra aetate iam nullius fere praxis), utrum et *eremitae* hoc privilegio contineantur. Et quod ad hoc ait D'Annibale, *Comment. in Const.* « *Apost. Sedis* », n. 108, eremitarum triplex esse genus: « alii collegialiter vivunt ; contra alii habitum eremiticum pro lubitu suo suscipiunt, dimittunt ; ....alii qui de mandato episcopi alicui ecclesiae vel aediculae inserviunt. *Illos* hoc privilegio gaudere, *istos* non item, utrumque explorati iuris est. De *his* non convenit». Nunc ex Codice (c. 608) primi certo gaudent privilegio, alteros et tertios non est certum gaudere, quia de eremitis in Codice nullus est sermo. At in praxi, addit D'Annibale, pro percussoribus respondere melius est; et nunc extra dubium ob rationem allatam.

At iure Codicis, quemadmodum alia privilegia ecclesiastica, ita istud quoque amittunt clerici degradati (18), aut perpetuo privati habitu ecclesiastico (19), non autem tantum depositi (20).

Secundo, aliquid dicendum de his, quibus hic canon poenam minatur. Porro verba antiqui canonis « si quis », aut nunc vigentis « omnes fideles », nullam personam excludunt, dummodo capax sit gravis peccati (21). Nam verba quae sequuntur « suadente diabolo » aut « seque sacrilegii *delicto* commaculant », significant malitiam graviter peccaminosam (22). Hinc excu-

---

(18) Can. 2305.

(19) Can. 2304.

(20) Can. 2303. Antiquo etiam iure excipiebantur quidam; et primo bigami ex reali bigamia, clerici nempe in minoribus qui coniugium cum secunda vel cum una vidua aut ab altero corrupta contraxerunt (cap. un. de bigamis [I. 12] in 6°). Clerici vero, qui unam et virginem duxerunt, si deferrent tonsuram et habitum clericalem, retinebant hoc privilegium (c. un. de cleric. coniug. [III. 2] in 6°). Amittebant praeterea ipso iure privilegium hoc clerici degradati reali degradatione (c. 8 de poenis [V. 9] in 6°; et patet ex ipsa formula *Pontificalis Romani*, in degradatione a prima tonsura: « exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio clericali, et velut clericalis professionis indignum redigimus te in servitutem et ignominiam habitus secularis et status »); clerici qui, habitu ecclesiastico deposito, militiae se addicebant, si tertio ab ordinario suo admoniti, ab ea non redirent (c. 25, tit. cit. X. [V. 39]), vel etsi militiae non se addixissent, si tertio admoniti habitum non resumerent (c. 45 tit. nuper cit.); qui enormis se criminibus maculaverant (c. 14 tit. nuper cit.); qui se ioculatores aut macellarios aut tabernarios fecerant et per annum has ignominiosas artes exercuerant, vel, si breviori tempore hoc fecissent, spreverant tamen trinam monitionem ordinarii nec resipuerant (c. un. de vita et hon. cleric. [III. 1], in 6°; c. 1 eiusd. tit. in Clementinis). clerici minores ordinati, sede vacante, infra annum a die vacationis, nisi fuissent arctati (Concilium Tridentinum, sess. VII, c. 16 *de ref.*). Notandum autem hic est, post decretum S. C. Immunit. eccles. 20 nov. 1860, clericos minores *saltem Status Pontificii*, beneficio carentes, qui clericalem habitum et tonsuram non deferrent et alicui ecclesiae ex mandato episcopi non inservirent, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos non versarentur, ipso iure omnia omnino privilegia clericalia amisisse. Dixi « saltem Status Pontificii », quia, quamvis si consideretur forma, qua hoc decretum latum est, dicendum esset illud ad pontificiam tantum ditionem sese extendere, quum *italica lingua* conscriptum et ad ordinarios *ditionis pontificiae* datum fuerit, visum tamen est canonistis plerisque (inter quos SANGUINETI, *Iur. eccl. priv. inst.*, n. 100) illud universale esse, quum parum credibile sit, ut conservari voluerit a Sede Apostolica in aliis regionibus privilegium quoddam iis clericis, quibus ne in ditione quidem pontificia conservabatur. Quod autem ea forma datum fuerit decretum, ex eo explicatur, quod extra Statum pontificium iam fere nullibi immunitas clericorum in suo vigore perstabat.

(21) cc. 6. 60 tit. cit. X. (V. 39).

(22) LAYMANN, *Theol. mor.*, lib. 1, tr. 5, p. 2, c. 1, n. 5; BALLERINI-PALMIERI, IV, 514.

satur mulier, quae clericum, etiam sacerdotem, sollicitantem percutit, si a nefario proposito verbis tantum avertere nequit (23); vel ille qui clericum turpiter agentem (et sub hoc comprehenduntur etiam turpes actus non completi, ut amplexus, etc.) cum uxore, matre, sorore, filia invenerit (24); item qui clericum percutit vel iocandi (25) vel corrigendi (26) vel se defendendi (27) aut qua alia iusta causa, vel ex subita ira (28), si nempe non plene advertit id quod facit; item qui vim a clerico illatam vi incontinenti repellit (29); item qui clericum percusserit, laicum eum putans (30).

Diximus nullam personam excludi a comminatione poenae violati huius canonis. Et certe nec sexus nec dignitas ulla excusat. At excusatne *aetas*? idest an impuberes quoque comprehenduntur? Olim comprehendebantur certo (31), at hodie non comprehenduntur; verius iam ab ipsa constitutione « Apostolicae Sedis ». In ea enim, quum de ista excommunicatione sermo erat, impuberes non exprimebantur nec specifice nec generice; exprimebantur autem saltem generice, quando volebant comprehendi (32). Nunc certum est ex c. 2230.

---

(23) S. Alphonsus, VII, 275; Schmalzgrueber, *in lib. V Decr. tit.* 39, n. 235.

(24) S. Alphonsus, loc. nuper cit. Et nota animadversionem D'Annibale, *Comment.* cit., n. 110 (20), huiusmodi percussorem excusari, licet animum infensum habuerit, si non apparet.

(25) c. 3 tit. cit. X. (V. 39).

(26) c. 54 tit. cit. X. (V. 39). Attamen percussio debet esse moderata (cfr. Laymann, l. c., c. 5, n. 9) et clericus non debet esse in sacris, ut patet ex cap. cit.; imo etsi sit subdiaconus, si percussor super eum praelationis ministerium aut magisterium habeat (c. 10 tit. cit. X. [V, 39]).

(27) c. 10 nuper cit.

(28) Toletus, *Summa*, I, 33; S. Alphonsus, l. c.

(29) c. 3 tit. cit. X. (V. 39).

(30) c. 4 tit. cit. X. (V. 39).

(31) c. 60 tit. cit. X. (V. 39).

(32) Hinc quando quaestio erat de excommunicatione incurrenda a violatoribus clausurae monialium, dicebatur expresse: « uniuscuiusque generis sexus vel *aetatis* fuerint ». Cfr. D'Annibale, I, 367; *Comment.* cit., n. 111. Et nota imprimis impuberes beneficio iuris a censuris etiam ante Codicem excusatos fuisse, nisi aliud in iure fuisset expressum. Cfr. S. Alphonsum, VII, 14. Quaestio etiam fit an ista excommunicatione teneantur mandantes quoque et ratam habentes percussionem. Et ex ipso canone eos teneri non constat, ut ex verbis patet, at iure *Decretalium* mandantes (c. 6, 53. tit. cit. X. [V. 39]) et ex statutis in 6° ratam habentes (c. 23 eiusd. tit. [V. 11] in 6°) teneri certum est. Ex Constit. « Apostolicae Sedis » eos ex iisdem rationibus, quas pro impuberibus attulimus, non teneri putabat D'Annibale, *Comment.* cit., n. 11, cui consentiebant Gury-Ballerini, II, 787, § 39, Pennacchi,

Tertio loco dicendum quaenam sit actio a canone prohibita. Prohibet autem canon inferre *realem* iniuriam. Haec autem secundum doctrinam can. 6 contineri dicenda est violenta manuum iniectione. Violenta vero manuum iniectio intelligitur id omne, quo in personam non verbis sed re fit iniuria (33) ; idest quaevis actio externa et graviter peccaminosa in personam clerici vel monachi vel in res adhaerentes corpori illorum, ita ut per eam inferatur nocumentum vel corpori vel dignitati vel libertati eorumdem. Hinc ex 1° prohibetur occisio, vulneratio, percussio facta manu, pede, lapide, baculo, etc. ; veneni appositio (34) ; actio qua fiat ut clericus praeceps ruat, decidat (35) ; lapidis vel teli iniectio (36), etc. Ex 2° prohibetur quidquid contumeliosum in eum admittere, ut eius vestes conscindere (37) ; sputo, pulvere, luto, sordibus eum confoedare (38) ; aliquid ei detrahere licet nullius pretii, ut pileum, crumenam, etc (39) ; rhedam, qua vehitur, aut equum cui insidet retinere (40), etc. Ex 3° eum in carcerem detrudere vel in loco etiam privato carceri aequivalente, seu in custodia retinere.

De poena, quae contra iniicientes violentas manus in clericos iure manent, dicemus ad can. 2343.

---

tom. I, p. 474; Del Vecchio, I, 55, 595, et alii. Nunc iure Codicis eos teneri palam est ex c. 2231, si ita concurrerint in delictum, ut hoc sine ipsis commissum non fuisset. c. 2209, § 3. Chelodi, *Ius. poen.*, 14; Sole, *De delict. et poen.*, n. 381, contra Cappello, *De censuris*, n. 59.

(33) D'Annibale, *Comment.* cit., n. 109; Ballerini-Palmieri, VII, 448; et hoc deducunt ex lege 1, § 1 de iniuriis, etc. D. (XLVII. 10) quam superius citavimus.

(34) S. Alphonsus, VII, 28. Et, ut notat D'Annibale, *Comment.* cit., n. 109, is tunc excommunicationem incurrit, cum venenum clerico nocere inceperit.

(35) Suarez, *De censuris*, XXI, 1, 6.

(36) Suarez, l. c., n. 28.

(37) Laymann, *De excommunicatione*, V, 2; Schmalzgrueber, l. c., n. 226.

(38) Ballerini-Palmieri, VII, 448.

(39) Ballerini-Palmieri, l. c.; D'Annibale, *Comment.* cit., n. 109.

(40) S. Alphonsus, VI, 274; Ballerini-Palmieri, l. c.; D'Annibale, loc. nuper cit., c. 29 tit. cit. X. (V. 39).

CANON 120.

§ 1. *Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit.*

§ 2. *Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati* nullius, *supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit.*

§ 3. *Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit.*

1. Praeter privilegium canonis, quo consultum est physicae inviolabilitati clericorum, institutum est etiam *privilegium fori,* quod in eo est, ut clerici neque in civilibus neque in criminalibus causis possint conveniri apud iudicem laicum, sed ad ecclesiasticum tantum tribunal trahendi sint (1).

2. § 1. ***Clerici*** — *omnes,* nullo facto discrimine, quia ex Codice nihil praeter clericatum requiritur. Id autem ante Codicem non procedebat; sed antiquo iure clerici, qui hoc foro privilegiato gaudebant, erant clerici omnes *maiorum ordinum,* imo etiam *ordinum inferiorum* (2), dummodo tamen aut beneficiati essent, aut clericalem habitum et tonsuram deferentes

---

(1) c. 2 de foro competenti X. (II, 2). Et nota, quod quemadmodum Ecclesia, aevo medio durante, ob rei necessitatem multa ad suum iudicium pertraxerat, quae nativo iure ad civilem potestatem pertinebant, ut ex. gr. iudicium de causis pertinentibus ad viduas, pupillos, etc.; ita postea societas civilis legitimis iuribus Ecclesiae restitit, ut accidit in Anglia seculo XII exeunte, per constitutionem Henrici II Clarendone editam. Cfr. HEFELE, *Historia Concil.*, V, 623; VI, 59; PHILLIPS, *Comp. iur. eccl.*, § 175.

(2) c. 2 nuper cit.

alicui ecclesiae de mandato episcopi inservirent (3) ; aut in seminario clericorum vel in aliqua schola seu universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines versarentur (4). Et hoc privilegio fruebantur etiam clerici coniugati, qui unam et virginem duxissent, habitum clericalem gestarent et alicuius ecclesiae servitio addicti essent (5). Si clericus (coniugatus quoque, qui unam et virginem duxisset) conditiones supra enumeratas ex Concilio Tridentino non servasset, ita amittebat privilegium fori, ut ipse nequiret hoc privilegium pro se invocare, posset tamen episcopus ad se advocare eius causam (6).

Clericis, ut supra, aequiparabantur ante Codicem, et aequiparantur etiam nunc, post Codicem, *religiosi* utriusque sexus, novitii quoque (7) ; quod non esse restringendum ad ordines stricte regularium, sed ad sodales quoque laicos recentiorum congregationum fuisse extendendum iam antiquo iure communiter obtinebat (8).

3. *in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus;* — scilicet semper clerici gaudent foro privilegiato, nisi quaedam causa a iure fuerit excepta (9). Hinc comprehenduntur causae omnes tum civiles (10) cum criminales (11); sive agatur iudicium in petitorio, sive in possessorio tantum (12) ; sive intentetur contra clericum actio personalis, sive realis (13).

---

(3) Idest qui de facto alicui ecclesiae inserviant episcopo non resistente. Nam S. C. Conc. consulta, an clericus in minoribus ordinibus constitutus, clericalem habitum et tonsuram deferens atque ecclesiae inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui ecclesiae ab episcopo ascriptus non sit, respondit « gaudere », in *Neapolitan.* 1 febr. 1614. Imo in *Senogalhien.* 23 ian. 1603 responderat, eum quoque clericum hoc privilegio gaudere, qui alteri ecclesiae inserviret, quam illi cui ex mandato episcopi ad inserviendum ascriptus fuerat. Cfr. RICHTER, in Conc. Trid. sess. XIII c. 6 de ref., nn. 2. 4.

(4) Conc. Trident., loc. nuper cit.

(5) c. un. de cleric. coniug. (III. 2) in 6° ; Conc. Trident., loc. cit.

(6) S. C. Conc. 21 ian. 1594, 27 mart. 1627 apud Benedictum XIV, *De synod.*, XII, c. 2, n. 3 ; c. 614.

(7) c. 38 C. XI, q, 1; cfr. quoque c. 3 de immunit. etc. (III. 23) in 6°.

(8) LEHMKUHL, *Teol. moral.*, II, 650.

(9) Arg. c. 2 tit. cit. (II. 2) ; SCHMALZGRUEBER, in hunc tit., n. 79.

(10) cc. 3. 6. 8. 42. 43. 45. C. XI, q. 1 ; c. 12 tit. cit. X. (II. 2).

(11) c. 8. C. XI q. 1 ; cc. 4. 8. 10 de iudiciis X. (II. 1) ; c. 12 tit. cit. X. (II. 2) ; c. unic. de cleric. coniug. (III. 2) in 6°.

(12) SCHMALZGRUEBER, loc. cit.

(13) Nam canones generatim loquuntur, nulla distinctione facta inter

Sunt tamen exceptiones. Et primo, antiquo iure excipiebantur causae *feudales* (14). Praeterea excipitur casus, quo clericus ratione officii *alieno nomine* conveniatur, ex. gr. tamquam tutor vel curator aut procurator alicuius laici ; tunc enim non attenditur persona clerici, sed eorum, quorum nomine convenitur (15). Excipitur etiam casus, quo clericus sit *heres laici*, cum quo antequam moreretur lis iam fuerit coepta ; ratio autem est, quia iudicium semel incoeptum apud eumdem iudicem terminari debet (16).

De poena manente ex iure violatores istius canonis commodius dicemus ad canonem 2341.

4. ***apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent.*** — *Conveniri*, inquam ; quia in casu, quo clericus esset *actor* contra laicum, debet convenire laicum apud laicum tribunal (17) ; et si ipse causa cadat, potest a iudice laico sententia in ipsum dici. *Exsecutio* vero *sententiae* relinquenda est iudici ecclesiastico. Similiter clericus a laico coram iudice laico verius reconveniri potest, nisi agatur de causa ecclesiastica vel criminali (18).

nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. — Scilicet non consuetudine tantum fuerit introductum, sed in concordatis a S. Sede aliud fuerit indultum.

5. § 2. ***Patres cardinales, legati Sedis Apostolicae,*** — omnes, sive a latere, qui quum sint cardinales (19) iam comprehenduntur in priore classe, sive missi, tum Nuntii cum Delegati apostolici (20), — ***episcopi etiam titulares*** (21),

---

actionem personalem et realem. SCHMALZGRUEBER, loc. cit., n. 82. Nota autem actionem *realem* esse actionem in rem et oriri ex iure reali, ut dominio, eaque proinde rem peti tamquam actu iam suam ; actionem *personalem* esse actionem in personam et oriri ex iure personali seu ex iure ad rem, eamque proinde non peti tantum tamquam sibi debitam.

(14) cc. 6. 7. tit. cit. X. (II. 2).

(15) SCHMALZGRUEBER, loc. cit., n. 80; D'ANNIBALE, *Comm. in Constit. « Apostol. Sedis »*, n. 66.

(16) SCHMALZGRUEBER, loc. cit ; BALLERINI-PALMIERI, IV, 520.

(17) c. 5 de foro competenti X. (II. 2).

(18) SCHMALZGRUEBER, in tit. 2 lib. 2 Decret., n. 6 sqq.

(19) Can. 266.

(20) Cfr. can. 266, 267.

(21) Et proinde comprehenduntur, quasi a fortiori, *residentiales*.

abbates et praelati nullius (22), ***supremi religionum iuris pontificii superiores*** (23), — *supremi*, non proinde superiores maiores omnes, sed unus tantum ex eis, ille scilicet qui in religione nullum habet superiorem praeter Romanum Pontificem (24) aut ordinarios locorum, si religio non sit exempta, — ***officiales maiores Romanae curiae***, — qui varii sunt pro variis congregationibus, tribunalibus et officiis (25) ; — ***ob negotia ad eorum munus pertinentia*** ; — quae verba ex omnium consensu unice referuntur ad officiales maiores curiae, qui proinde pro negotiis privatis, etsi tamquam clerici non possint conveniri apud iudicem laicum sine venia ordinarii loci in quo causa peragitur, non exigunt tamen veniam Sedis Apostolicae, nisi agatur de negotio pertinente ad eorum munus.

apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae. — Ex quo clare apparet cavere legislatorem voluisse iniuriam Sedi Apostolicae exinde provenientem, si ob negotium pertinens ad eorum munus, et proinde ad Apostolicam Sedem, in ius apud laicum iudicem vocarentur.

6. ***ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia ordinarii loci, in quo causa peragitur,*** — qui melius iudicare potest de circumstantiis casus, et videre, praesertim

---

(22) Quinam sint, vide in can. 319.
(23) Cfr. can. 501 § 1.
(24) Can. 499 § 1 ; can. 500 §§ 1. 2.
(25) Sunt autem, ut deducitur ex *Normis peculiaribus* statutis in parte altera praescriptorum quae adiuncta sunt Const. « Sapienti Consilio », quibus datum est nomen « Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae » (A. A. S., I [1909] pp. 36 sqq., pp. 59 sqq.) : in Congregatione *S. Officii*, assessor et commissarius (c. 7, a. 1, n. 1) ; in Congregatione *Consistoriali*, assessor et substitutus (a. 2, n. 1) ; in Congregatione *de Sacramentis*, praelatus a secretis et subsecretarius (a. 3, n. 1) ; in Congregatione *Concilii*, item (a. 4, n. 1) ; in Congregatione *de Religiosis*, item (a. 5, n. 1). Quod ad alias Congregationes spectat, nihil de his in speciali statuitur, sed ex harmonia ipsa iuris deducitur, idipsum dicendum de omnibus secretariis et subsecretariis. Quod ad Tribunalia : in *Poenitentiaria* videtur esse unice regens ; in *S. Rota*, omnes praelati auditores ; in *Signatura apostolica*, praelatus a secretis. Quod ad Officia : in *Cancellaria et Dataria*, regens ; in *Camera apostolica*, vicecamerarius S. R. E., auditor et thesaurarius generalis Camerae ; in *Secretaria Status*, secretarius pro negotiis eccles. extraordin., substitutus pro negotiis ordinariis, subsecretarius pro negotiis eccles. extraordin.

si agatur de duobus clericis inter se contendentibus, utrum spes forte sit eos ad concordiam reducendi, evitata lite.

At patet veniam hanc requiri pro *prima instantia* et ab ordinario loci, ubi primitus causa instituenda est. Pro secunda instantia et etiam pro cassatione sententiae, si quando petenda sit, non requiritur venia a novo ordinario loci, in quo causa noviter tractanda est.

quam tamen licentiam ordinarius... ne deneget, — quia saepe difficile secus erit ad exsecutionem sententiae devenire.

praesertim quum actor est laicus ; — ergo per se etiam si sit *clericus*, quod tamen evidenter magis esset dolendum, quia ageretur in casu de clerico trahente alium clericum, quo in casu evidenter facilius exsurgere posset scandalum apud fideles, quod praesertim praebere posset denegandae veniae iustam et gravem causam, de qua statim.

sine iusta et gravi causa, — de cuius exsistentia iudex quidem est ordinarius, qui tamen ex ipsa lege cogitur ad licentiam concedendam, nisi talis causa contra militet. Hinc petens veniam, quae denegatur, potest recursum interponere ad superiorem ecclesiasticam auctoritatem, quae ius a lege petenti concessum faciat inferiorem ordinarium revereri.

tum maxime, quum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. — Quibus verbis lex insinuat etiam, superiorem ecclesiasticum ante omnia allaborare debere ad restituendam concordiam inter partes. Id autem maxime concordat cum spiritu Codicis nostri. Codex enim alibi, loquens de ipso iudice, eum iubet hortari partes, « ut cum aliqua contentiosa controversia quae privatum eorum bonum respiciat, ei proponitur iudicii forma dirimenda, per transactionem, si quae concordiae spes affulgeat, lis componatur » (26). Et addit rationem, quia « *valde optandum* sit ut lites inter fideles eviten-tur ». Quod quidem valde convenit etiam iudici ecclesiastico,

(26) Can. 1925 § 1.

sed multo magis superiori ecclesiastico, ad quem pars litigatura non venit ut ad iudicem, cuius imo iudicium declinare vult, sed ut ad superiorem.

Accedit agi in casu de clerico conveniendo. Si autem valde optandum est, ut lites inter fideles evitentur, id multo magis procedet, quando agitur de vitanda lite inter fidelem laicum et clericum, maxime vero inter clericum et clericum.

7. § 3. Paragraphus haec agit de casu haud infrequenti, quo clericus a laico (vel, quod generatim non est praesumendum, ab alio clerico) sine ulla venia, idest sine venia legitimi superioris ad normam paragraphi praecedentis, conveniatur ad iudicem laicum. In casu conventus potest, — ***ratione necessitatis,*** — quia in universali hoc infausto recessu a Christi Ecclesia ab eiusque sanctis legibus inutile esset sperare iudicem laicum per se ipsum declinaturum fore iudicium, nomine incompetentiae, comparere seu citationi deferre, — ***ad vitanda maiora mala,*** — ne scilicet inauditus et indefensus, forte innocens aut nulla obligatione devinctus, condemnetur, et causa cadat.

In hoc autem casu eumdem clericum obligatio manet certiorem de re faciendi superiorem, — ***a quo venia obtenta non fuit,*** — et proinde respective aut Sedem Apostolicam aut ordinarium, de quo supra.

CANON 121.

Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt.

In hoc canone agitur de *privilegio exemptionis*, quod a nonnullis ex praecipua sui parte *privilegium servitiorum* dicitur, et illud est, quo clerici et religiosi eximuntur ab oneribus personalibus et a servitiis et officiis civilibus, quae statum clericalem minus decent. Antiquo iure hoc privilegium comprehendebat etiam exemptionem a solvendis tributis, gabellis, exactionibus et huiusmodi, quae civibus a laica potestate imponuntur (1). Quod

(1) Vigente iam *Codice Theodosiano* leges exstabant, quibus concedebatur clericis exemptio a muneribus publicis, quae eorum dignitati

ad hanc ultimam partem privilegii Ecclesia non amplius insistit (2), quemadmodum patet ex Codice nostro, ubi de hac privilegii parte non amplius est sermo (3).

Contra, acriter insistit in prima parte privilegii, in vindicanda scilicet suis clericis et religiosis *exemptione ab agenda militia*. Argumentum iam habebatur in propositione 32 damnata in *Syllabo* Pii IX : « Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta » (4).

---

non convenirent. Cfr. *Codicem Theodosianum*, ll. 1. 2. 7. 8. 9. 10. 11. 14. 16. 24. 36 de episcopis etc. (XVI. 2.). It ed in *Codice Iustinianeo* factum est ; cfr. ll. 1. 2. 6. 17. 52 de episcopis etc. (I. 3). His legibus clerici habebantur immunes a sordidis et secularibus muneribus, ut ire ad bellum, praebere militibus hospitium in suis aedibus, agere vigilias, etc. Imo etiam a quibusdam muneribus publicis licet honorificis, sed statui clericali non convenientibus, videntur clerici fuisse exempti.

(2) Etiam quod ad hanc partem privilegium istud optimo iure sibi vindicavit Ecclesia. Nam bona Ecclesiae et clericorum (saltem bona beneficialia) sunt bona Deo dicata, quae immunia proinde quam maxime esse decet ab oneribus tributorum. Hinc iure canones Ecclesia condidit, quibus clericos ab his exactionibus voluit immunes. Cfr. c. 4 de immun. eccl. etc. X. (III. 49); c. 3 eiusd. tit. (III. 23) in 6°. Nota etiam, secundum communem sententiam bona quoque patrimonialia clericorum fuisse exempta ab exactionibus potestatis civilis. Cfr. Grashof, in *Archiv für kath. KR.*, t. 37. pp. 256 sqq.

(3) Attamen nota, non exinde, per se, excusari auctoritas civilis, quae bonis ecclesiasticis *tributa* imponit. Nam Ecclesia est societas perfecta, quae, quum in suo territorio consistit, et territorium Ecclesiae est totus orbis, non potest iure gravari tributis ab alia societate perfecta, etiam pari, multo magis inferiore. Quare, quemadmodum ex iure divino procedit Ecclesiam esse societatem perfectam, ita ex eodem iure procedit Ecclesiam immunem esse a solvendis tributis, nisi ipsa voluntarie consentiat. Hinc in c. 7 de immun. X. (II. 49) merito clerici ipsi prohibentur ne vectigalia solvant, sub gravissimis poenis, et in c. 3 de immun. (III. 23) in 6° imperatores, reges et principes hoc modo violantes immunitatem realem Ecclesiae excommunicantur. Cfr. Cavagnis, *Ius publ.*, II, § 75, p. 83, qui tamen de hac exemptione scribit : « Nunc cessaverunt exemptiones a tributis sive personalibus sive realibus, etiam pro magnatibus ; item expensae publicae in immensum creverunt ; e contra olim fere nullae erant, et singuli iudices vel milites habebant feuda pro suis officiis, sicut clerici beneficia, et utrique serviebant reipublicae in ordine suo. Hinc Ecclesia, ne videatur velle rebus suis parcere cum gravamine laicorum, nunc libenter concedit hac in re privilegiorum abolitionem, ita ut et in Statu pontificio nulla servaretur differentia ».

(4) Quanto iure hoc sibi Ecclesia vi ndicet, cfr. apud Cavagnis, *Inst. iur. publ. eccl.*, p. II, pag. 322 sqq. Cfr . etiam Litteras Leonis XIII ad Card. Nina 27 aug. 1878.

EXCURSUS ad can. 121.

De immunitate clericorum a militia

1. Recta ipsa ratio docet, maxime esse inconveniens personas Deo dicatas bella gerere, arma tractare, vigilias pro communi incolumitate agere et aliis similibus se immiscere. Scilicet huiusmodi personae exercere debent in plebe officium ad pacem et concordiam in primis ducens, a factionibus abhorrens et omnes complectens in uno Christi Domini amore, « ubi non est gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber » (1)

Nec solum, sed, ut probe iam vidit CONSTANTINUS MAGNUS, vix a cultu gentium conversus, et CONSTANTIUS, qui, etsi a fide catholica desciverit et effecerit ut totus ferme orbis arianum se esse miratus sit, protestabatur tamen gaudere et gloriari semper se velle ex fide, idest in augescenda in dies multitudine et magnificentia ecclesiarum non solum in civitatibus, sed etiam in vicis et castellis, scientes magis religionibus quam officiis et labore corporis vel sudore rempublicam contineri (2).

2. Quare de ipsa civili societate optime meritus dicendus est PIUS IX, quum in *epistola ad episcopum Montisregalensem R. P. D. Ghilardi, O. P.*, eidem gratulatur, quod scripserit sibique dono miserit duo opuscula oppugnantia duas iniustissimas leges, alteram adversus religiosas familias propositam, alteram de clericis militiae ascribendis ; « quae infandae sane leges omnibus divinis, ecclesiasticis humanisque iuribus vel maxime adversae, omnino sunt reprobandae et damnandae » (3). Ex qua epistola desumpta est condemnatio propositionis 32 *Syllabi* PII IX. (4).

---

(1) *Coloss.*, III, 11. Cfr. etiam Litteras LEONIS XIII per S. C. Conc. datas 12 iul. 1900.

(2) l. 16 de episcopis etc. *Cod. Theodos.* (XVI. 2). Qua immunitate a muneribus scilicet publicis extraordinariis donati sunt « quicumque voto christianae legis eximiae singularisque virtutis omnibus intimaverit », idest clerici omnes tum superiores, cum inferiores, ut dicit MARVILIUS in commentario ad hanc legem.

(3) Lex de imponendo clericis servitio militari proposita fuit comitiis deputatorum Taurinensibus a ministro rerum bellicarum Della Rovere, adversus quam D. GHILARDI edidit opusculum, cui titulus : *La legge Della Rovere riprovata dalla storia, dalla religione e dalla società*, Torino, 1864.

(4) Hae Litterae, ultimum sunt ratione temporis documentum, in quo ea inveniatur.

De hac eadem re gravissimis verbis conquestus est Léo XIII in *epistola*, quam dedit *Cardinali Laurentio Nina* a secretis Status (5), ubi inter alia dicit : « Noi pure dobbiamo dolerci che si tolgano al culto divino i ministri con la legge sopra il reclutamento militare, la quale tutti indistintamente costringe al servizio delle armi ».

3. Ceterum antiqua lex fuit, antiqua consuetudo, non solum inter christianos, sed etiam inter ipsas barbaras gentes (6), eos qui dicati sunt servitio et cultui divinitatis, etsi erroneo, immunes haberi a servitio militari. Et vere id in citato loco *Codicis Theodosiani* deducitur ex ipso iure naturali ; dicitur enim : « Vetus iam inde a paganismi temporibus consuetudo, naturalisque legis sanctio pietatis causa obtinuit, ut apud omnes nationes publicae administrationes humanaeque functiones a religione sacrisque ceremoniis semper secernerentur, sacraque in summo rerum fastigio et veluti in quodam posito in terris caelo collocarentur... Hinc et illud quoque consequitur, ut omnium mentibus natura insitum sit nullo modo quae Deo dedicata sunt pollui posse, neque hominum insolentia adversus vim divinam progredi ». Quod positivo iure confirmatum postea fuit (7) a Constantino Magno (8), qui eam reddit rationem, ne scilicet abstrahantur seu avo-

---

(5) Cfr. *Acta Leonis XIII*, vol. I, pag. 103 sqq.

(6) Ed. imp. post legem 4 de his qui ad eccl. confug. in *Codice Theodosiano* (IX. 45). Cavagnis, *Ius publ.*, II, lib. I, c. 5, n. 126; Chelodi, *Ius de pers.*, I, 112.

(7) Verba legis sunt haec : « Qui divino cultui ministeria religionis impendunt (idest qui clerici appellantur) ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego labore quorumdam a divinis obsequiis avocentur». Ea autem est de hac immunitate clericorum a muneribus omnibus civilibus tertia iam Constantini constitutio, quae missa est Octavio (seu Octaviano) Correctori Lucaniae et Brutiorum, et alia est ab epistola eiusdem Constantini ad Amelinum proconsulem Africae, quae data est anno 313 vel exeunte anno 312, et spectat non ad Lucaniam et Brutios, sed ad Africam, et est alteri posterior sex annis (data scilicet anno 319), quamvis eadem sunt utriusque verba. Nam in epistola ad Amelinum dicitur : « eos qui huic sanctissimae religioni ministrant (quos clericos vocare consueverunt) ab omnibus omnino publicis functionibus omnino immunes volumus conservari, ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summae divinitati debito abstrahantur ». Cfr. Ruiz de Amado, *El servicio militar obligatorio y la inmunidad eclesiástica*, in *Razón y Fe*, t. VII (sept. 1903) 23 sqq.

(8) A Constantino, inquam, non a Theodosio, ut dicit Cavagnis, l. c., n. 129 ; nec in leg. 16 tit. 2 lib. 7, ut etiam falso ibi dicitur, sed in leg. 2 tit. 2 lib. 16. Et in genere nota, saepe clarissimum hunc auctorem

centur a cultu et ministerio divino. Neque absimilis ratio redditur a THEODOSIO MAGNO in lege 26 eiusdem tituli et libri in suo *Codice* (XVI. 2) seu in *epistola ad Tuscianum com. Orientis* (9). Imo CYPRIANUS quoque (10) eamdem rationem reddit, increpans « quod Geminius Victor frater noster de seculo excedens Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominaverit, cum iampridem in concilio episcoporum (11) statutum sit, ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati et in clerico (12) ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire et precibus atque orationibus vacare debeant... Quod totum fiebat de auctoritate et dispositione divina, ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quae nunc ratio et forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis et negotiis secularibus alligentur ».

4. Et est praecipuum, etiam nunc, argumentum quod afferunt canonistae, si quaestio sit de vindicanda hac immunitate clericis iam ordinatis (13). Cui argumento addit CAVAGNIS (14) aliud desumptum ex eo, quod conciliari et componi non possit militia armata cum ministerio sacerdotum. Et est argumentum validissi-

---

citationes afferre falsas, sive quod eas ex tertiis desumpserit non bene collatas cum textibus, sive quod dicendorum, quae saepe commendantur veritate et acumine, substantia plenus, citationibus non satis attenderit.

(9) Lex est integre : « Universos, quos constiterit custodes ecclesiarum esse vel sanctorum locorum ac religiosis obsequiis deservire, nullius adtemptationis molestiam sustinere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur esse devinctos, quos necessario intelligit supra memorato obsequio mancipatos ?». Custodes autem *sanctorum locorum* (quae hic ab *ecclesiis* distinguuntur intelligit custodes Bethlehem, Golgothae, Montis Olivarum et Resurrectionis, quorum unice memorat GREGORIUS NYSSENUS in *epistola de euntibus Hierosolymam* et in alia *epistola ad Eust. et Ambr.* (M. P. G., XLVI, 1010; 1015).

(10) *Epistola* 66 *ad clerum et plebem Furnis consistentem*, etc. (M. P. L., IV, 397).

(11) Huius Concilii nulla praeter istam habetur notitia.

(12) Nota singularem usum istius vocis a CYPRIANO adhibitae veluti adiectivi nominis, non solum hic, sed alias quoque, ut ex. gr. paullo post. Quamvis quaedam sint veteres editiones, quae legunt « *clericali* ministerio»; sed STEPHANUS BALUTIUS Cypriani annotator praefert primam lectionem, quam plerique codices exhibent.

(13) Cfr. CAVAGNIS, op. cit., lib. II, n. 164 sqq.

(14) Loc. nuper cit.

mum. Nam si quis in memoriam revocet antiquam disciplinam Ecclesiae, secundum quam nullum militem ordinari fas erat, videbit procul dubio Ecclesiam abhorruisse semper a militia a suis clericis exercenda. Imo qui militiam (15) non solum tunc exercerent, sed eos quoque qui militiam exercuissent, excludebantur, ut patet ex INNOCENTIO I, *epistola* 1ª *ad Victricium Rotomagensem episcopum* (16) et ex alia *epistola* 3ª *de dissensione corruptaque disciplina ecclesiarum Hispaniae* (17). Et certe ipsi imperatores ARCADIUS et HONORIUS (18) civilem legem tulerunt, ne huiusmodi homines cooptarentur in clerum, « quorum nullos omnino tali excusari obiectione permittimus ».

5. Et hoc quidem valet de presbyteris et diaconis, qui in perpetuum addicti sunt servitio divino (19). Pro clericis minoribus, seu pro illis qui in via sunt ad maiores ordines, non solum viget ea ratio consecrationis ad cultum et servitium divinum, etsi non perpetuo ; sed alia ratio et validissima, quod scilicet hi adolescant in bonum Ecclesiae, cui ius est nativum et exclusivum eos sibi educandi (20). Est enim societas perfecta, quae ius habet suis neces-

---

(15) Triplex fuit militia apud Romanos. Omnium honoratissima erat *palatina*, eorum scilicet qui in palatio militabant ; alia fuit *castrensis* seu armata; tertia tandem *cohortalis*, eorum scilicet qui in officio praefectorum et praesidum militabant. Et haec quidem breviter ; sed si quis vult penitius rem cognoscere, adeat paratitlon praemissum ad librum VII Codicis Theodosiani, qui totus est de re militari tam armata, quam palatina, in editione Mantuana anni 1740.

(16) In cap. 2 legitur (M. P. L., XX, 472)) : « Item (Dist. LVI, c. 61 ; sed citatio haec falsa est, nam distinctio citata non habet canonem 61) si quis post remissionem peccatorum cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet ».

(17) In cap. 4 legitur (M. P. L., XX, 490) : « Quantos enim ex his, qui post acceptam gratiam in forensi exercitatione versati sunt... ascitos ad sacerdotium esse comperimus... quantos ex aliqua militia, qui cum potestatibus obediverant, necessario praecepta sunt exsecuti... quorum omnium ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat pervenire... ut tantae usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, ut si qui post haec adversus formas canonum vel ad ecclesiasticum ordinem vel ad ipsum sacerdotium venire tentaverint, una cum creatoribus suis ipso, in quo inventi sunt, ordine et honore priventur ». Et in cap. 6 (M. P. L., XX,492) : « Ne quispiam qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti ».

(18) l. 12 de veteranis (VII. 20) in *Codice Theodosiano*.

(19) Cfr. etiam Conc. Tolet. (a. 400), can. 8.

(20) Hoc ius nativum et exclusivum Ecclesiae est quando agitur de instructione et educatione, quam vocare possumus *seminaristicam* ; non vero quando de alia sermo fiat. Nam pro aliis scholis Ecclesiae ius tan-

sitatibus occurrendi. Necessitas autem est adolescentes educare, ita ut, adveniente necessitate, et semper necessario adveniet morte interveniente eorum qui ad stabiliendum et defendendum regnum Christi laboraverunt, antiquiores supplere possint. *Educare* dicebamus, comprehendendo instructionem etiam in profanis et educationem stricte dictam, quae in seminariis danda est, in quibus procul sint iuvenes ab omnibus quae possent eos, distrahentia ad secularia, ecclesiasticam ipsis vocationem eripere, pinnas eis incidendo, et quorum volatus extollebatur ad caelum, eos ad ima deflectendo et deprimendo. Nam certe quisquis cordatus et nondum elleboro seu veratro curandus videt, vitam inter milites actam non conducere sive ad institutionem seu instructionem, sive ad educationem clericalem.

6. Et certe quum Ecclesia post diversas mutationes debuit regibus et principibus id iubentibus consentire, ut pro immunitate, qua gaudebant clerici eorumque bona, tenerentur milites mittere (21), qui auxilium ferrent pro incolumitate regni, aliquando ab externis hostibus invasi aut mox invadendi, semper cavit, ne ipsi armati pugnarent. « Destomachatus ille (B. Bernardus) quidem est in Stephanum de Garlanda, qui cum diaconatus ordine et beneficio ecclesiastico exornatus fuisset, seneschalli munere investitus fuerat, quo uno continebatur tunc, quae nunc magni magistri seu maioris palatii et comitis. Stabuli gemina dicitur dignitas amplissima. Itaque nulla esse ac ne fingi quidem poterat societas inter diaconatum et militarem dignitatem. Cuius cor non indignetur diaconum sic implicatum militaribus officiis, ut praeferatur et ducibus ? Rogo quid hoc est monstri, et cum et clericus et miles simul videri velit, neutrum sit ? Quis non detestetur unius esse personae et armatum armatam ducere militiam et alba stolaque indutum in medio ecclesiae pronuntiare evangelium ? tuba indicere bellum militibus et iussa episcopi populis intimare ? Baron., ann. 1127 n. 14 » (22).

---

tum est cumulativum cum societate civili saltem, cui ius est repressivum et praeventivum speciale ; quae tamen iura potius revocanda sunt ad ius criminale.

(21) THOMASSINUS, III, lib. 1, c. 40 sqq.

(22) THOMASSINUS, loc. cit., c. 45, n. 5, qui (c. 45, n. 2 sq.), postquam retulit, Carolum Magnum monitis Romani Pontificis et cleri gallicani obsecundantem, episcopos clericosque alios absolvisse a militia et castris dimi-

7. Quare optimo iure concludit CAVAGNIS (23) : « Etenim de facto quaedam gubernia neminem eximunt : hinc iniuste agunt ; quaedam clericos tantum maiores : et haec iniuste, licet minus, procedunt ; alia concedunt numerum determinatum : iamvero et haec iniuste agunt, cum iudicium de numero ad Ecclesiam spectet ; alia omnes theologiae studentes eximunt, non reliquos : et haec, praescindendo a concordatis (24), agunt iniuste cum plures esse possint, qui non adhuc studiis theologicis maturi sunt. Ergo omnes clerici sunt eximendi, qui conditionibus ab Ecclesia praescriptis satisfaciunt ».

---

sisse, paucissimis exceptis ad sacramentorum administrationem, haec subdens animadvertit: « Non pauca hic sunt quae momenti plurimum habeant. 1° episcopi ad exercitus profecturi a ceteris eligebantur ; aut ne ampliores dioeceses pastoribus orbarentur; aut ne iidem semper eas partes obirent, et vel ipsi vana seculi pompa inanescerent, vel eaedem ecclesiae diutius viduarentur: 2° curae erat in primis, ut nec in exercitu vivis quisquam excederet, nisi tribus his antemunitus sacramentis, poenitentia, extrema unctione et eucharistia: 3° id oneris quoque clericis his incumberet, ut sacrarum reliquiarum pignora ad exercitum et in castra vectarent... *ad sanctorum patrocinia portanda* : 4° presbyteri quoque seu castrenses eleemosynarii ab episcopis deligebantur et mittebantur ii quidem, qui et doctrina essent et pietate spectata... : 5° nec episcopis fas erat his, nec presbyteris *vel arma corripere vel manus conserere, tum quod ab eorum sanctissima professione immaniter id abhorreret*, tum etiam quod Europae gentes, hactenus omnes, quae armis et manibus plusquam precibus cleri tribuissent et sacrificiis, afflictae et prostratae fuissent... : 6° cumque hinc vecordes et male feriati homines obloquerentur, clericorum manibus arma excuti, ut et cleri honor ac potestas infringeretur, atque ita demum agri et praedia ecclesiae invaderentur, ex adverso testificatus est Carolus Magnus tanto clariores sibi fore clericos, quanto ipsi canonum observantiores forent... Quoad agros autem ecclesiae, a laicis eos iam non passus est obtineri, ni libera episcoporum et spontanea concessione ».

(23) Loc. cit., n. 168.

(24) In Concordatis non habetur plus quam simplex assertio et promissio plenae immunitatis cleri a militia. Ita factum est in Concordato inter PIUM VII et rempublicam Italicam in art. 18 ; ita etiam in *Litteris* Archiep. Viennensis DE RAUSCHER ad cardinalem Viale Pralà ex mandato imperatoris Austriae Francisci Iosephi I, datis die 18 aug. 1855, n. 7, idem promittitur ; ita in Concordato inter LEONEM XIII et Praesidem reipublicae Guatemalensis, die 2 iul. 1884 ; ita pariter in Concordato inter eumdem LEONEM XIII et Praesidem reipublicae Columbianae, die 31 dec. 1887, n. 7. Nulla alia Concordata de hac materia agunt, nisi velimus hic recensere antiquam conventionem confirmatam ab INNOCENTIO III die 14 apr. 1210 inter Sancium I Portugalliae regem et episcopum Portuensem, vel melius conditiones positas a GREGORIO IX die 14 apr. 1283 ad conventionem cum Sancio II nepote Sancii I, in qua haec inter alia regi exprobrat : « Archiepiscopum quoque ipsum ac personas ecclesiasticas ut in tuo procedant exercitu, pro tuo citas arbitrio voluntatis eosque ad hoc per te ac tuos cogis invitos, ipsis nisi iverint poenam pecuniariam infligendo... » ; nec non concessionem novissimam factam in Concordato cum gubernio Italico 11 febr. 1929. Cfr. MERCATI, *Raccolta di concordati*, Roma, 1919.

CANON 122.

Clericis qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sint quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eorumdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

1. Agitur in hoc canone de *privilegio* illo, quod antiqui canonistae dicebant *competentiae* vel etiam *privilegium capitis* « *Odoardus* », quod in eo capite sancitum dicatur, id est in c. 3 *de solutionibus* X. (III. 23), et est beneficium competentis sustentationis pro clerico aere alieno gravato (1).

Nempe vi huius privilegii debet clerico debitori a suo creditore relinqui ea bonorum pars, quae sufficiens sit — ***ad honestam sui sustentationem*** (2), — non quidem suo iudicio, sed — ***prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio;*** — imo clericus obaeratus non debuit ratione sui debiti indigne tractari, idest non incarcerari, non excommunicari, etc.

2. Ad hoc autem ut clericus hoc privilegio frui valeret, nonnullae antiquo iure requirebantur conditiones : 1° ut debita, quae clericus contraxisset, non provenirent ex aliquo delicto vel quasi delicto, sed ex contractibus et negotiis civilibus (3) ; — 2° ut clericus constitutus esset in sacris, vel, si in minoribus, haberet tamen conditiones requisitas ad hoc, ut privilegio fori posset gaudere (4) ; — 3° ut non esset suspectus de fuga : se-

---

(1) Nota non paucos inter doctores opinari in eo capite non contineri istud privilegium *competentiae*, sed potius prohibitionem iudici factam, ne ob id clericum non valentem solvere excommunicet. Sit ad ex. inter antiquiores ZALLINGER, in dict. tit., § 252, et inter recentiores I.H. BOEHMER, *Ius eccles.*, III, 23 § 20 ; PHILLIPS, *Comp. iur. eccl.*, § 59 (7) ; CHELODI, *Ius de pers.*, n. 112 ; WERNZ, II, 170. Sunt tamen etiam, praeter antiquos canonistas, nonnulli inter recentiores, qui contrarium opinantur, ex. gr. SANTI, *Praelect. iur. can.*, n. 8 sqq.

(2) Iure autem introductum est hoc privilegium pro clericis ad exemplum romanorum militum, qui eo gaudebant. Sunt enim clerici « milites caelestis militiae », ut dicit *Glossa*. Cfr. l. 6 prooem. et l. 18 de re iudicata etc. D. (XLII. 1).

(3) Quaestio erat inter doctores, utrum debita ludis prohibitis vel luxuriose vivendo contracta facerent ut clericus amitteret hoc privilegium, an non ; nonnullis affirmantibus, nonnullis negantibus.

(4) Nonnulli tamen doctores tribuebant hoc ius etiam clerico in minoribus, qui non haberet has conditiones. Cfr. BARBOSA, *Ius eccl. univ.*, I. 39 § 6, n. 16.

cus enim incarcerari potuisset (5) ; — 4° ut, si in minoribus exsisteret, non esset coniugatus (6) ; — 5° ut cautionem iuratoriam praestaret se debitum soluturum in casu, quo ad pinguiorem fortunam devenisset (7) ; — 6° ut conveniretur actione personali, non reali (8) ; — 7° ut coram iudice debitum malitiose non negaret (9) : quia, si hoc fecisset, quamvis secundum plures non esset exuendus etiam bonis necessariis ad sustentationem, potuisset tamen incarcerari aut censuris subiici ; — 8° ut se probaret impotentem ad solvendum, saltem summarie et praesumptive, uti ex fame, ex notoria exiguitate beneficii quod possidebat, etc. (10) ; — 9° ut non contraxisset debitum dolose et in fraudem creditorum (11).

Nunc in Codice omnibus clericis, qua talibus, privilegium hoc vindicatur. Verum conditiones recensitas sub nn. 1°, 3°, 5°, 6°, 8° 9° videntur adhuc requiri. Privilegium enim non datur ad auxiliandum clerico delinquenti et delinquere adhuc volenti ; sed tantum clerico ex nimia facilitate aut simplicitate aere alieno obaerato et satisfacere volenti.

3. ***firma tamen eorumdem obligatione creditoribus quam primum satisfaciendi,*** — quae quidem eos manet ex ipso iure naturali, sed confirmatur a lege.

« Practice », ait CHELODI (12), « si causa in *foro ecclesiastico* agitur, privilegium efficit, ut iudex nequeat ultra terminos creditori exsecutionem concedere. In *foro civili* clericus vindicare sibi debet beneficium competentiae, quod moderniores

---

(5) BARBOSA, loc. cit., n. 34.

(6) Clericis enim coniugatis, dummodo cum una et virgine contraxissent ac simul deferrent tonsuram et habitum clericalem, BONIFATIUS VIII reliquerat tantum privilegia canonis et fori, c. un. de cler. coniug. (III. 2) in 6°. Nunc clericus coniugatus de iure dari ordinarie non potest. Cfr. c. 131 § 2.

(7) BARBOSA, loc. cit. n. 11 ; SANTI, loc. cit., n. 10 ; WERNZ, loc. cit.

(8) BARBOSA, loc. cit., n. 29. Hinc qui conveniebantur actione reali' vel personali quidem sed in rem propriam actoris, ut esset in commodato et deposito, non potuisset privilegio frui.

(9) Cfr. ipsum c. « Odoardus » ; BARBOSA, loc. cit., n. 36, etc. Et bene CHELODI, loc. cit. : « Non tamen debitum ei remittitur, sed dumtaxat solutio differtur ».

(10) BARBOSA, l. c., n. 6 sq.

(11) BARBOSA, l. c., n. 19. 21.

(12) Loc. cit.

leges omnibus civibus concedunt. CG. p. c. §§ 811, 833, 850; in Austria l. 17 maii 1912 ».

Privilegium hoc paucis in locis viget, quamvis vigeat adhuc alicubi et sit confirmatum per leges civiles, saltem ex parte, ut in Austria et in Bavaria (13).

CANON 123.

Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit; sed eadem amittit, si ad statum laicalem reducatur aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 213 § 1, 2304; *recuperat vero, si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur.*

1. ***Memoratis privilegiis clericus renunciare nequit:*** — et in hoc habemus applicationem principii iam positi supra in canone 52 §§ 3 et 4, in quo quum satis de hac re disputaverimus, ad dicta lectorem remittimus (1). Ceterum assertio est evidens, quia sunt privilegia concessa *coetui clericorum*, nonvero formaliter singulis clericis. Et hoc quidem de renunciatione.

2. Sed non una renunciatio est modus valedicendi privilegio semel habito. Frequens etiam modus est, praesertim si agatur de privilegio alicui coetui concesso, *indignitas* in privilegiarium inducta (2). Hinc est quod canon prosequitur:

sed eam amittit, — in poenam vel etiam extra casum poenae, si statui clericali legitime valedicat (3), — ***si ad sta-***

---

(13) Cfr. PHILLIPS, l. c.

(1) OJETTI *Comm. in Cod. iur. can.*, I, pp. 300 sqq.

(2) *Praesertim*, quia etiam quando agitur de privilegio concesso personae individuae, aliquid simile haberi potest, ut est in casu canonis 78.

(3) Antiquo iure privilegia haec clericalia non omnino amittebantur, idest non omnia, sed ex parte tantum, in duobus casibus, scilicet in casu clerici coniugati (c. un. de cler. coniug. [III. 2] in 6°), cui relictum est tantum privilegium fori et canonis, dummodo cum una et virgine contraxisset nec non deferret habitum et tonsuram; et in casu, quo tonsuratus vel clericus minor aut non esset beneficiatus aut, etsi talis esset, non inserviret certae ecclesiae de mandato episcopi, deferens habitum et tonsuram, aut non consisteret in seminario clericorum vel in aliqua schola

tum laicalem reducatur, — quocumque modo (4), — ***aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur, ad normam can. 213*** § 1, ***2304.*** — in quorum primo statuitur omnes clericos, qui sive libere id volentes sive ex decreto superioris ecclesiastici ad statum laicalem legitime redacti sunt aut regressi, privilegia clericalia amittere ; in altero clericum depositum, non dantem emendationis signa et praesertim scandalum dare pergentem, et monitum non resipiscentem, posse ab ordinario perpetuo privari iure deferendi habitum ecclesiasticum, quae privatio secumferat privationem privilegiorum clericalium.

3. ***recuperat vero, si haec poena remittatur,*** — nam quamvis per se perpetua sit in hypothesi, post seriam emendationem remitti tamen adhuc potest, — ***aut ipse rursus inter clericos admittatur.*** — Quod qualiter fieri possit videbimus ad can. 212.

---

aut universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines, cui sublatum fuit privilegium fori. Amittebant autem omnino omnia clerici minores bigami sive bigamia vera sive interpretativa ; clerici degradati omnes saltem post *realem* degradationem ; clerici pariter omnes qui se fecissent ioculatores, macellarios, tabernarios, et per annum has artes exercuissent, spreta trina monitione ordinàrii ; clerici omnes, qui crimina committerent quibus ex iuris dispositione infligebatur poena degradationis. Cft. notam (20) ad can. 119.

(4) De qua re videbimus ad can. 211 sqq.

TITULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

ANTONELLI I., De iuribus et oneribus clericorum, Romae, 1699 — BOECKHN, De clero seu obligationibus, officiis, beneficiis et iuribus utriusque cleri, Salisburgi, 1728-31. — VERHOEVEN, De regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis, Lovanii, 1846. — HEINER F., Die kanonische Obedienz, 1882. — SCHNEIDER, Die kanonische Gehorsam, in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, 82 (1902), 304 sqq. — CLAEYS-BOUUAERT, De canonica cleri secularis obedientia, Lovanii, 1904.

Cfr. etiam decretalistas omnes in tit. *de vita et honestate clericorum.*

CANON 124.

Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere.

1. Sicut prae laicis plura sunt clericis privilegia, ita etiam plura sunt propria *officia*. Haec autem officia ad duas generalissimas classes reduci possunt. Sunt enim quaedam, quae spectant ad internam et externam vitae rationem, quaedam, quae ad externum corporis cultum.

Codex a primi generis obligationibus exorditur et in hoc canone statuit regulam quamdam generalem, clericos scilicet debere

sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere (1). — Quod quidem evidens est; nam si clerici in sortem Domini vocati sunt, si Deus sors eorum est, cui unice

(1) Cfr. ea quae praeclare docet PIUS X in Exhortatione apostolica « Haerent animo » 4 aug. 1908, quam promulgavit occasione sui iubilaei sacerdotalis.

inhient, evidenter ratione status sanctiorem prae aliis vitam ducere debent. Haec autem maior sanctitas in primis *interior* esse debet, sine qua nulla pro singulis clericis utilitas esset. At de omnino interiore sanctitate non canonistae tractant, sed potius theologi morales aut ascetici (2).

Verum praescindendo etiam ab interna hac sanctitate et loquendo de *externa* vita clericorum, de qua agunt canonistae et curam habet in suo foro externo Ecclesia, patet eam quoque sanctiorem prae laicis esse debere. Clericis enim virtutes sectandae sunt *suo statui* convenientes, ita ut eorum externa quoque vitae ratio ea sit, quae fidelibus exemplum praebeat vitae christianae actae et clerici vere bonus odor Christi sint aliis christifidelibus (3).

2. Attamen, quum obiectum legis, etsi non est actus mere internus (4), sit tamen actus mixtus et externus etiam occultus (5), potest per se Ecclesia praecipere, ut huiusmodi actus a suis clericis ponantur.

Et certe si quis examinet tum sequentes canones in iure Codicis, cum antiquam praxim Conciliorum provincialium, facile sibi persuadebit de veritate illius affirmationis, quam facit Wernz (6), episcopos nequaquam praescriptionibus pro clericis latis voluisse solum dare monita vel leges mere poenales ; voluerunt potius dare veras leges, quae tamen non obligarent

---

(2) Ad hanc sanctitatem internam fovendam maxime evidenter conducit *oratio*, in quantum haec dicit ascensum mentis in Deum, et proinde complectitur laudem, gratiarum actionem et petitionem, quo in sensu oratio latissime sumitur : nam stricte dicit tantum petitionem, et proinde est actus, quo quis praestolatur benevolentiam Dei, ut aliquid ab eo obtineat. Hanc orationem in sensu lato sumptam summopere decere clericos ex eo patet, quod si christianus quivis dicere et corde sentire debet illud, quod Paulus, *Philipp.*, III, 20, affirmabat : « nostra autem conversatio in caelis est », multo magis id clericorum proprium esse debet. Et nota, locum Pauli citatum graece ita se habere : « ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει » ubi adverte πολίτευμα a Tertulliano pluries reddi *municipatum* (*De coron. mil.*, 13 ; *Contra Marc.*, 3,24 ; *De resurrect. carn.*, 47 – M. P. L., II. 96, 353, 863) ; quia scilicet vere sumus συνπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ (*Ephes.*, II, 19), idest *municipes* Hierusalem sanctae matris nostrae et domestici Dei.

(3) *II Cor.*, II, 15.

(4) S. Thomas, 1. 2. q. 91 a. 4 ; q. 100 a. 9 ; Suarez, *De legib.*, IV. 12.

(5) Lessius, *De iust.*, etc., II. 37. 66 ; D'Annibale, I, 200 ; Wernz. I, 98 ; Ojetti, *Synopsis* etc., n. 2508.

(6) *Ius Decr.*, II, 182, 57.

sub gravi, nec poenis a locorum ordinariis urgendae essent, nisi forte valde levibus.

3. ***eisque virtute et recte factis in exemplum excellere.*** — Clerici enim debent esse duces populi in salutem : optima autem via exemplis. Quod planum fit etiam alia consideratione; quod scilicet, ut dixit HILARIUS PAPA in c. 4 C. XXV q. 1, « reatu maiori delinquit qui potiori honore perfruitur : et graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium ». Quare clerici, qui in sublimi quadam dignitate positi sunt in Ecclesia prae laicis, tenentur iis exemplo esse, et quo in honore maiores sunt, eo etiam in sanctitate praecellant, ut eorum « illis exemplum instructio et vita magistra sit », ut dicit GREGORIUS in c. 9 dist. 100. Quae omnia recapitulantur a LEONE XIII (7) : Admonete clericos « ne profanos spiritus umquam sumant, ne utilitatum suarum cupiditate vel negotiorum secularium cura ducantur ; imo virtute et recte factis in exemplum excellant, de studio precandi nihil umquam remittendo, ad mysteria sanctissima caste adeundo ».

CANON 125.

Curent locorum Ordinarii:

1° *Ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant ;*

2° *Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant.*

1. ***Curent locorum ordinarii,*** — vigilantia, qua suis clericis invigilare debent, eosque hortentur et levibus quoque poenis negligentes urgeant ad modum patris et forma facti gregis ex animo (1):

1° ***Ut clerici omnes poenitentiae sacramento... conscientiae maculas eluant.*** — Quam merito id dicatur, patet,

---

(7) *Litterae* « Quod multum » *ad episcopos Hungariae* 22 aug. 1886.
(1) I PETR., V, 3.

si attendatur debere clericos animi puritati maxime studere. Porro si verum est et indubitatum, mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, evidens est ista necessitas animae maculas frequenter abstergendi.

frequenter, — nullo tamen assignato recurrente tempore. Quod prudentissime factum est et ad normam antiquorum Conciliorum (2), quae ordinarie ad summum statuerunt maximum quoddam tempus, ultra quod non liceret confessionem protrahere (3).

2. 2° ***Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant.*** — Quanta sit necessitas oratio- nis, patet ex evangelio (4), et ex Patribus, Augustino (5) praesertim et Hieronymo (6) ita ut doctrina catholica sit, eam necessariam esse ad salutem, ordinaria sal-

---

(2) Etiam recentius conferentia episcoporum Pisis habita anno 1850 contenta fuit indeterminate frequentem confessionem commendare.

(3) Maximum istud tempus fluctuat inter hebdomadam et tres menses. Relinquendo antiquas synodos, quod ad magis recentes attinet consuli possunt : Conc. prov. Australianum I, a. 1844 ; Conc. prov. Tolosanum, a. 1850 ; Conc. prov. Aquense, a. 1850 ; Conferentia episcoporum Siciliae a. 1850 ; Conc. prov. Ravennatense, a. 1855 ; Conc. prov. Strigoniense et Conc. prov. Viennense, a. 1858 ; Conc. prov. Venetum et Urbinatense, a. 1859 (Conc. Urbinatense pro minoristis praescribit confessionem bis saltem in mense, pro clericis maiorum ordinum, qualibet hebdomada) ; Conc. prov. Pragense, a. 1860 et Conc. prov. Quitense II, a. 1869, quod tamen praescribit confessionem faciendam quater in anno, occasione quatuor temporum. Episcopus Warmiensis R. P. D. Krementz Concilio ipsi Vaticano postulatum proposuit, ut sacerdotes obligarentur ad confessionem instaurandam singulis saltem duobus mensibus. Cfr. Martin, *Coll. docum. Conc. Vatic.*, 1873, 190-193.

(4) « Oportet semper orare » (Luc., XVIII, 1) ; « Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem » (Matth., XXVI, 41), et saepe alibi.

(5) In libro *De dono perseverantiae*, XVI, 39 (M. P. L., XLV, 1017) ad Prosperum et Hilarium dicit : « quum constet alia Deum danda etiam non orantibus, ut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam » ; et in *Enarrat. in ps.*, 102, n. 10 (M. P. L., XXXVII, 1324): « Deus autem dare vult, sed non dat nisi petenti, ne det non capienti » ; et in libro *De Eccl. dogm.*, c. 56 (M. P. L., XLII, 1228), quod tamen etsi Augustino antiquitus ascriptum, est opus subditivum, Gennadio ascribendum, ut videtur : « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire, nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri »; et *De Natura et gratia*, c. 43 (M. P. L., XLIV, 271) : « Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet et facere quod possis et petere quod non possis ». Cfr. etiam Concilium Tridentinum, sess. VI c. 11.

(6) *Contra Pelagianos dialog.* I, 2 ; II, 27 ; III, 1 (M. P. L., XXIII, 521 ; 592 ; 596) ; *Epist. ad Damasum*, 18, n. 15 et 21, n. 37 , *ad Rusticum*, 122, n. 3 (M. P. L., XXII, 370 ; 391 ; 1042).

tem lege, necessitate medii, multo autem magis necessitate praecepti (7). Ad hanc autem orationem non urget Codex clericos: est enim aliquid a Codice in clericis praesuppositum, quum sit omnibus, etiam laicis, commune.

Sed eos allicit ad orationem *mentalem*, quae species orationis est a vocali distincta. Clerico autem maxime propria est, imo necessaria, si velit vitam gerere suae dignitati congruam. Considerari autem ea potest tum ut *oratio* cum ut *exercitium perfectionis* (8). Sub primo respectu dicit principaliter affectus piae cogitationis et precationem qua a Deo nobis auxilia postulamus; sub altero dicit animi reflexionem seu meditationem et commentationem de rebus fidei in id directam, ut aliquem hauriamus ad nos salutariter perficiendos fructum, praesertim ad nobis efformandum eum practicum intellectum fidei nos ad divina semper impellentem, ad vivendum cum Christo in Deo (9).

3. *sanctissimum Sacramentum visitent.* — Decet enim maxime clericum sacramentum illud devota pietate prosequi, quod ipsi est fundamentum praecipuum suae dignitatis et excellentiae.

Deiparam Virginem mariano rosario colant; — quod summopere decet clericos facere, quum Leo XIII (10) universos christianos enixe hortatus fuerit, « ut vel publice vel privatim in sua quisque domo et familia pium hoc rosarii officium peragere studeant et non intermissa consuetudine usurpent ».

---

(7) Suarez, *De religione*, I, 28 sqq.

(8) Vermeersch, *Quaest. de virt. relig. et pietat.*, q. 1, n. 71.

(9) *Coloss.*, III, 3. Hinc merito Suarez, op. cit., II, 29 sq.: « Tertia et magis propria utilitas huius orationis est, quia virtutem quamdam habet quasi effectivam ad generandum in anima omne virtutis genus, propter quod a Chrysostomo dicto libro 1 de orando Deum — basis et ratio omnis virtutis — appellata est ». Et n. 10: « Praeterea potest haec utilitas declarari ex illo principio, quo solet Augustinus necessitatem gratiae Dei ostendere, videlicet quod sancta cogitatio, quae a Deo est, principium est omnis boni desiderii ac voluntatis et consequenter omnis bonae operationis... Mentalis autem oratio nihil aliud est, quam seminarium quoddam et fons sanctarum cogitationum et diuturna illarum exercitatio et diligens ruminatio ».

(10) Constit. « Supremi Apostolatus », 1 sept. 1883.

Quae sacra precandi formula quum « tantopere Virgini grata esse dignoscatur, eaque ad Ecclesiae populique christiani defensionem et ad divina beneficia publice privatimque impetranda apprime conferat », mirum non est Summos Pontifices multum laudasse et augere studuisse, praesertim ut haereses profligarentur a Virgine Deipara, cui datum est cunctas haereses interimere. Hunc autem finem levandi publicas Ecclesiae calamitates maxime decet prosequi clericum, qui vitam suam Dei et Ecclesiae servitio mancipavit.

4. ***conscientiam suam discutiant,*** — quod tendit ad conservandam animi puritatem et ad acquirendum habitum in se vigilandi: multo autem magis ad hoc, ut parati semper simus ad reddendas rationes vitae nostrae Deo, qui venturus est ut fur, et quem venientem clericus cum amore suscipere debet.

CANON 126.

Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia.

1. In quodam schemate pro Concilio Vaticano praeparato proponebatur: « Et quoniam in medio corrupti seculi facile evenit, ut de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant, ad ecclesiastici vero ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducat, omni studio curent episcopi, ut clerici, praesertim parochi et confessarii, singulis saltem trienniis vel quadrienniis certo dierum spatio in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant » (1).

Hoc schema Codex noster quod ad substantiam probavit et ex parte suum fecit, ut ex canone praesente patet. Est novum quoddam praescriptum ab obtinendam illam sanctiorem vitam,

(1) Martin, *Coll. docum. Conc. Vatic.*, pp. 138, 148.

quam Codex ducendam praescribit clericis prae laicis. Medium autem aptissimum *exercitia spiritualia* semper visa sunt (2). Hinc Romani Pontifices, praesertim Innocentius XII et Benedictus XIV, ad hoc medium facilius reddendum, privilegia concesserunt sive canonicis et aliis choro addictis, sive parochis (3). Exemplum RR. Pontificum eorumque incitamenta ad hanc praxim promovendam secuti sunt plures episcopi, qui suis sacerdotibus praescripserunt, ut identidem spiritualibus exercitiis vacarent; quod praeceptum ab eis fieri posse non solum edixit S. Congr. Concilii (4), sed declaravit etiam, eos posse, paterna monitione praemissa, illud poenis etiam impositis urgere.

Quibus praemissis, pauca quaedam de exegesi canonis.

2. *Omnes sacerdotes seculares,* — non quia religiosi excludantur, sed quia de iis cavent alii canones (5). Dicitur autem: omnes *sacerdotes*; non igitur omnes *clerici*, qui tamen, quum ordinarie debeant in seminario manere, obligantur ad exercitia *singulis* annis per aliquot dies continuos facienda (6).

---

(2) Cfr. Litteras Pii X *ad card. P. Respighi* Urbis vicarium de spiritualibus exercitiis a clero romano peragendis, 27 dec. 1904.

(3) In Italia insulisque adiacentibus ex encyclicis Litteris datis a S. Congr. EE. et RR. sub Innocentio XI, 9 oct. 1682, et confirmatis a Clemente XI, 1 febr. 1710, canonici, beneficiati et alii omnes choro addicti, qui vacant exercitiis spiritualibus decem per annum continuis diebus de licentia ordinarii (qui tamen hanc licentiam concedere non debet tempore adventus et quadragesimae ac in solemnioribus festivitatibus, nec omnibus simul choro addictis) in domibus religiosorum Soc. Iesu seu Presbyterorum Missionis, si in loco adsint, sin minus in alia pia et regulari domo ab ipsis ordinariis designanda et approbanda, dummodo diu noctuque in praefatis domibus permanserint, fictione iuris choro adesse reputentur; ita ut non solum faciant fructus suos, sed lucrentur etiam distributiones quotidianas. Pariter ad hunc effectum peragendi exercitia spiritualia, semel tantum in anno parochi omnes absoluti sunt a residentia. Idemque pontifex hortatur ordinarios, ut animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiarios chori servitio astrictos diligenter excitent ad eadem exercitia saltem semel in anno peragenda. Hoc idem praestitit postea pro missionariis S. Congr. de Prop. Fide *Ad vic. apost. Indiae*, 8 dec. 1899: *Collect. auth.*, n. 135. Etiam Benedictus XIV concessit capitularibus, qui spiritualibus vacant exercitiis, ut eo tempore valeant « lucrari integros fructus et quotidianas distributiones quascumque, perinde ac si choro divinisque officiis personaliter interessent » (Constit. « Ubi primum » 3 dec. 1740). Cfr. can. 420, § 1, n. 7; can. 465.

(4) Decr. 20 sept. 1878.

(5) Cfr. c. 585, § 1, n. 1; c. 541; c. 571, § 3.

(6) Cfr. c. 1367, n. 4.

debent tertio saltem quoque anno; — quare etsi forte possint adhuc sacerdotes *invitari* ad vacandum exercitiis semel in anno, *obligari* tamen posse non videntur. Quare praescripta Innocentii XI et Clementis XI pro episcopis ad eos hortandos ad exercitia spiritualia singulis annis frequentanda ex parte emollita sunt, quatenus *obligatio* sacerdotes tenet singulos tantum tribus annis; sed ex alia parte quos prius urgebat mera invitatio et exhortatio, nunc tenet stricta obligatio.

Meminerint autem episcopi se debere aliis exemplo praelucere, ac proinde maxime fore inconveniens si, etiam quod ad exercitia spiritualia attinet, illud quidem practice non admiserint, quod a sacerdotibus sibi subditis curare debent faciendum et etiam exigere.

spiritualibus exercitiis per tempus a proprio ordinario determinandum, — secundum schema praeparatum pro Concilio Vaticano, non autem per *decendium*, ut iam optabat Clemens XI. Imo generatim haec sacerdotum exercitia reducuntur ad quinque tantum integros dies, ratione necessarii ministerii quod exercent parochi, et proinde initium sumunt a die dominica sub vesperam et producuntur usque ad sabbatum mane.

in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; proinde non domi suae nec in domo rusticationis, sed in domo *pia* vel *religiosa*.

3. ***neque ab eis quisquam eximatur;*** — idque probat momentum legis in mente Ecclesiae, cui nihil magis cordi est, quam ut sacerdotes habeat, qui sanctissimum ministerium, quod prae manibus habent, fideliter expleant et fructum ex eo cum fidelibus referant plurimum, qualem unice referre possunt instrumenta, quae Deo sint stricte coniuncta ; — ***nisi in casu particulari,*** — prohibentur igitur dispensationes, quae dantur alicui coetui, ex. gr. canonicis ecclesiae cathedralis, etc., sed dispensatio debet dari singulis ; — ***iusta de causa,*** — non igitur pro arbitrio seu ad voluntatem, sed iusta causa impellente; — ***ac de expressa eiusdem ordinarii licentia,*** — proinde non *tacita*, et multo minus *praesumpta*.

CANON 127.

Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi.

1. Postquam Codex de interiore vitae ratione (quae tamen saepe non omnino interna manet) clericis prae laicis maiore sanctitate ducenda egit, hic agere incipit de *externa* vitae ratione, pariter sanctius quam a laicis ducendae. Ad hoc sequentia statuuntur, quae ad hunc finem directe vel saltem indirecte ducunt, ab hoc canone usque ad can. 131 inclusive.

2. ***Omnes clerici... speciali obligatione tenentur.*** — *Speciali* utique prae obligatione illa generali, qua omnes fideles tenentur reverendi episcopum seu ordinarium suum (1).

praesertim vero presbyteri, — quia hi in ordinatione fecerunt promissionem specialis reverentiae et obedientiae erga episcopum. Ad petitionem enim ordinantis « promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam? », responderunt publica protestatione: « promitto » (2). Hanc promissionem specialem nunc presbyteri tantum in sua ordinatione faciunt (3), quae olim in aliquibus ecclesiis ab omnibus clericis

---

(1) Ita in *Constit. Apostolicis*, lib. II, c. 26, dicitur: « Supra hos vero omnes pontifex est, qui et episcopus. Hic verbi minister, scientiae custos, mediator Dei et vestrum in divino cultu ; hic magister pietatis, hic post Deum pater vester, qui vos per aquam et Spiritum sanctum in adoptionem ; hic princeps et dux vester, hic vester imperator rex ; hic vobis post Deum terrenus Deus, qui ius habet ut honore vestro fruatur ». Similia cfr. apus DIONYSIUM, *De eccles. hierarchia*, c. 1 (M. P. G., III, 369 sqq.), apud IGNATIUM, *Epistola* 5 *ad Trallianos*, 6 *ad Magnes.*, 10 *ad Smyrn.* (M. P. G., V, 661, 675, 707), apud CYPRIANUM, *De aleatoribus* M. P. L., IV, 827 sqq.) ecc.

(2) Cfr. *Pontificale Romanum*, de ordinatione presbyter.

(3) « Neque porro nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus sollemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus episcopi ordinantis iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum, ut ex antiquis ritualibus colligitur, quae expendit Catalanus ad Pont. Rom. I pag. 149 in notis ad § 29. Quin immo libenter agnoscimus, presbyterum, huiusmodi promissionis vigore, ea lege inter alias astrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia episcopi ». BENEDICTUS XIV, Constit. « Ex quo » 14 ian. 1747.

fieri consuevisse videtur (4), et quidem sub iuramento ab iis, quibus ecclesiasticarum rerum commissa esset dispensatio (5).

suo quisque ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi. — *Reverentiam* quidem propter maioritatem ratione muneris honorifici, quod habent (omnes enim clerici, presbyteri quoque, ratione ordinis sunt episcopis inferiores); *obedientiam*, quia iurisdictionem habent, etsi forte charactere episcopali non sint insigniti (6). Hanc obedientiam tempore LEONIS MAGNI clerici promittere debuerunt, saltem aliqui et promissionem suam scripto consignare, etiamsi episcopi essent, imo et metropolitae relate ad pontificium legatum quod

---

(4) Cfr. c. 19 de verb. sign. X. (V. 40), ubi INNOCENTIUS III explicat formulam istius promissionis Placentinae ecclesiae et episcopo Placentino factae ab omnibus clericis, quam significare dicit non quidem totius dioecesis clerum sed capitulum cathedrale et in primis episcopum qui est caput eius.

(5) Cfr. c. 5 de iur. X. (II 24); c. 23 C. XXII q. 5; HALLIER, *De sacris elect. et ordinat.*, p. 1 sect. 6 § 10, qui n. 22 dicit: «Concilium quoque Tholosanum recenter habitum a. 1590 decrevit — ut nullum deinceps ad animarum curam admittant episcopi, qui non prius testatus fuerit se ab episcopi imperio et iurisdictione nequaquam exemptum, fidemque suam episcopi dioecesani mandatis per totum praefecturae suae tempus obstrinxerit, privilegiisque omnibus, immunitatibus exemptionibusque declinatoriis palam renuntiaverit — archidiaconos similiter fidelitatem episcopo suo iurasse patet ex Fulberto, qui Lysiardi archidiaconi Senonensis in archiepiscopum suum rebellantis crimen exaggerans :— quid, inquit, dicemus de iuramento fidelitatis, quod, ita contaminat, ut episcopo suo non corde nec verbo nec opere fidelis exsistat ?» Cfr. etiam GONZALEZ in cap. cit. de iureiur.

(6) Ad hanc obedientiam refertur illud quod tradit HALLIER, op. cit., 1, 6 § 12 n. 23: « Ea autem in ordinatione obediendi necessitas olim contrahebatur, ut clericus fieret, a cuius episcopo ordinatus fuisset..., et ab ea ecclesia, nisi de eius episcopi, qui ipsum ordinasset, consensu, recedere non posset : quod ad tempora etiam Hildeberti Cenomanensis perdurasse comperimus, qui petenti Claromontensi episcopo Willelmum quemdam, quem subdiaconum antea ordinaverat, in archidiaconum consecrandum et istituendum his verbis concessit — gratias igitur Beatitudinis vestrae de collato agens beneficio, eumdem Willelmum vobis et vestrae commodo ecclesiae ab ea, quam consecratori suo debet obedientiam, liberum omnino et absolutum. Ea quoque reverentia consecratori seu ordinatori episcopo exhibebatur, ut spiritualis pater haberetur et eum accusare nefas esset : id enim ab Hadriano primo in capitulis Angilramno datis (cap. 75) nec non in capitularibus Caroli Magni (lib. 7 c. 85) cautum legimus ut episcopo pontifici, a quo consecrati probantur, praeiudicium inferre nullum possint, etc. ». Et in eumdem sensum affert *epistolam* 125 LUPI FERRARIENSIS *ad Guenilonem* Senonensem Metropolitanum, *epistolam* 23 FULBERTI *ad Leuthericum* Archipraesulem Senonensem, *epistolam* 45 PAULINI *ad Alipium*, etc.

tamen a LEONE improbatur (7). In Hispania seculo saltem VII Concilium Toletanum (a. 675), c. 10, prohibuit ne clerici ordinarentur, qui non promisissent forte scripto («sub cautione spondeant») se ordinario suo obedituros, fidem catholicam servaturos et irreprehensibili ratione vitam acturos (8). In Italia septentrionali seculo VIII promissio haec sacramento quoque seu iureiurando confirmabatur (9); quam tamen consuetudinem improbat Synodus Cabilonensis II (a. 813), c. 13. Ab hoc autem iureiurando exigendo semper abstinuit Ecclesia et abstinet adhuc; nam iusiurandum, de quo in can. 981, § 1, non hanc obedientiam respicit, sed potius firmitudinem promissionis de inserviendo dioecesi vel missioni perpetuo, quae consulat stabilitati tituli ordinationis.

CANON 12².

Quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum.

1. ***Quoties et quamdiu,*** — semper igitur quando ecclesiae necessitas verificatur, et quamdiu ea duret, non ultra, — ***id iudicio proprii ordinarii exigat ecclesiae necessitas;*** — iudicium igitur exsistentiae talis necessitatis apud ordi-

---

(7) Cfr. *Epistolam ad Anastasium episc. Thessalonicensem* (M. P. L., LIV. 670): «Venit namque ad nos cum episcopis provinciae suae frater noster Atticus, veteris Epiri metropolitanus antistes, et de indignissima afflictione, quam pertulit, lacrymabili actione conquestus est, coram astantibus diaconibus tuis, qui querelis flebilibus nihil contra referendo, ea, quae nobis ingerebantur, fide non carere monstrabant. Legebatur quoque in litteris tuis, quas iidem diaconi tui detulerunt, quod frater Atticus Thessalonicam venisset, quodque consensum suum etiam scripturae professione signasset, ut de illo non aliud a nobis posset intelligi, quam proprii arbitrii et spontaneae devotionis fuisse quod venerat, quodque chartulam de obedientiae sponsione conscripserat, in cuius tamen chartulae mentione signum prodebatur iniuriae. Non enim necessarium fuerat ut obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarii adventus probabat officio».

(8) c. 6 dist. 23 c. 10 Concil. Tolosan. cit.

(9) Cfr. MURATORI, *Antiquit. ital. medii aevi*, VI, 371. 412 ed. Mediol. a. 1739.

narium est; et necessitas exigitur, non simplex convenientia aut utilitas.

Canon praesens refert substantiam duorum decretorum S. Congregationis Concilii (1), quibus edicebatur teneri clericos acceptare in dioecesi illud munus, quod ipsis commiserit episcopus, saltem quoties necessitas ecclesiae id exigit. Ratio autem est, quia clerici ordinari tantum debent ii qui iudicio proprii episcopi, si sint seculares, necessarii sunt vel utiles ecclesiis dioecesis. Ordinantur igitur ad subveniendum necessitatibus dioecesis suo ministerio operaque sua. Ut autem his necessitatibus consulatur, necesse est exercitium ministerii dirigi a superiore, qui proinde debet posse suos clericos ita distribuere, ut necessitatibus insurgentibus occurratur. Verum quum id practice non sine animi aegritudine saepe fieri possit, regimen autem ecclesiasticum paternum maxime esse deceat, canon hanc necessariam ordinarii potestatem restringit ad casus necessitatis.

2. ***ac nisi legitimun impedimentum excuset.*** — Quare ne necessitas quidem tantum exigitur, sed, ut clericus acceptare munus teneatur, necesse praeterea est, ut nullo excusetur impedimento, quod fuerit legitimum (2). Ubi nota, « legitimum » non hic poni tamquam id, quod *ex lege est,* nihil enim tale in iure indicatur; sed quod *iustum* quoddam impedimentum est; ut ecce, si de clerico agatur, qui matrem vetulam nequit secum afferre in clima nimis rigidum, quod ferre ipsa non possit.

---

(1) *Monitore ecclesiastico*, VII, I, 25. Scilicet episcopus Foroiuliensis haec proposuerat : « An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, sacerdotes viribus pollentes et a quocumque officio liberos ad curam animarum aliaque munera pro regimine animarum necessario suscipienda in casu ». Et S. Congr. 31 jan 1891 responderat : « Affirmative in terminis rescripti in Tolosana ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant ». Decretum in *Tolosana* mox referemus.

(2) Quare Codex aliquantulo mitior est S. Congr. Concilii, quae in decreto citato edixit, episcopum posse cogere clericum ad munus illud suscipiendum sub praecepto obedientiae, adhibitis etiam censuris. Quod tamen eum facere posse non negarem in casu can. 2222, quando scilicet scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat. Cfr. etiam eamdem S. Congr. Conc. in *Urbevetana* 10 maii 1766, in *Tridentina* : 18 aug. 1860, in una *Civitatis Castellanae* 11 iul. 1862.

suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus, quod ipsis fuerit ab episcopo commissum. — Quare non solum *suscipiendum* est, sed etiam fideliter *implendum* munus commissum. Id autem profecto non faceret ille, qui sine ulla causa excusante munus ob necessitatem sibi commissum relinqueret, nulla ab ordinario obtenta licentia (3).

CANON 129.

Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant; et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.

1. *Clerici studia... recepto sacerdotio ne intermittant.* — Praeter ea, quae spectant ad vitam internam clericorum seu ad puritatem animae fovendam, ad pietatem nutriendam, brevi ad vitam sancte ducendam, et ad externam quoque vitam christiane agendam in operibus ministerii sanctissimi, quod prae manibus habent, sub directione et nutu ordinarii sui, cui reverentiam et obedientiam exhibeant, prosequens Codex in assignandis iis, quae a clericis secundum Ecclesiae desideria servanda sunt, de necessitate agit compa-

---

(3) Archiepiscopus Tolosanus haec exposuerat: « Quum non raro accidat, ut sacerdotes, quibus cura amovibilis ecclesiarum succursalium ut aiunt, commissa fuit, otii vel facilioris vitae studio, muneri suo renuntiare exoptent, cessione apud ordinàrium facta, etiam ante eius acceptationem,... relictis suis ecclesiis ad propria redeant; unde contingit, non paucos sacerdotes vitam otiosam, licet adhuc viribus integros, degere... non sine scandalo fidelium; interea plures parochiales ecclesiae suis carent rectoribus... Quapropter orator a S. Congr. quaerit: 1° Utrum liceat praedictis sacerdotibus, eo quod beneficia veri nominis non teneant, a munere suo recedere, non obtenta prius ordinarii licentia. 2° An ex praecepto obedientiae, adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris, episcopus ius habeat eos cogendi, ut in suo munere persistant, usquedum ipsis de idoneo successore providere valeat. 3° Utrum sub eodem praecepto, iisdemque censuris, facultatem habeat episcopus sacredotes viribus pollentes et ab aliis officiis liberos compellendi ad earum ecclesiarum curam percipiendam, usquedum illis alio modo providere queat ». Et S. Congr. respondit: « Attentis peculiaribus circumstantiis: ad 1um Negative; ad 2um Affirmative; ad 3um Affirmative vigore facultatum, quae, approbante SS. Dno. Nro., emo. archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium, si tamdiu expositae circumstantiae perduraverint ». S. Congr. Conc. 9 maii 1884.

randi sibi illud pabulum studii atque doctrinae, quod iam CICERO aiebat maximam esse in senibus voluptatem (1), quodque si habeatur, nihil esset otiosa senectute iucundius. Quae quidem studia prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescant; ut honestum esset illud SOLONIS, senescere se multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla maior.

Illud autem quod iam CICERO multis prosecutus est, eo magis ab Ecclesiae patribus et scriptoribus traditum est et inculcatum.

praesertim (2) ***sacra.*** — Nam, ut docet HIERONYMUS tum in *epistola ad Paulinum* (3), cum super illud AGGAEI « interroga sacerdotes legem », considerandum est, « sacerdotum esse officii de lege interroganti respondere. Si sacerdos est, sciat legem Domini : si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem et ad interrogationem respondere de lege... Et ne forsitan in veteri solum instrumento haec praecepta videantur, loquitur et Apostolus ad Timotheum episcopum non solum irreprehensibilem esse debere, et unius uxoris virum, et sapientem, et pudicum, et ornatum, et hospitalem, sed etiam doctorem » (4). Nec solum id verum est et necessarium ob positivam obligationem sciendi, quam postulat ipsum ministerii suscepti exercitium (5) ; sed etiam puritas vitae sectanda, quam faciliorem facit vita dedita studio doctri-

---

(1) *De senectute*, 14, 49.

(2) « Praesertim », non *exclusive*. Hinc iure merito CHELODI, *Ius de pers.*, n. 116, laudat Concilium provinc. Saliburgense a. 1906, quod commendaverit clericis studia quoque historiae, scientiarum naturalium, iuris et litterarum.

(3) *Epist.* 53 (M. P. L., XXII, 540).

(4) *In Aggaeum Proph.*, c. 2 (M. P. L., XXV, 1474). Quare dicit LEO MAGNUS in *epist.* 59 *ad clerum et plebem Constant. urbis* = c. 3 dist. 38 (M. P. L., LIV, 867) : « Nam si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis, qui praesunt, nec excusatione est digna, nec venia ? ».

(5) Hinc Concil. Tolet. IV c. 24 = c. 1 dist. 38: «Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere s. Scripturas frequenter admonet Paulus Ap. dicens ad Timotheum : Attende lectioni, exhortationi et doctrinae, et semper permane in his. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas et canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat ; atque aedificent cunctos, tam fidei scientia quam operum disciplina » Cfr. ea quae praeclare docet SS. D. N. PIUS XI in epistola apostol. « Unigenitus Dei filius » 14 mart. 1924.

nae, quod importat animi assiduam atque vehementer applicatam magna cum voluptate occupationem (6).

2. et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam.. sectentur. — Debent enim clerici robusto doctrinae pabulo ad eum finem sese enutrire, ut causam religionis fortiter et sapienter agant, cui potius obessent quam prodessent, si nullo validorum armorum apparatu instructi, sed vana tantum scientia elati praelia Domini certare vellent (7)

a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia receptam... devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam, — secundum praeceptum Apostoli (8): « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt ». Quod clericis seu ordini clericali maxime convenit, ut scilicet sanam doctrinam ipse communem fideliter custodiat, aversatus profanas vocum novitates et deflectens a vana nominis scientia: in quibus periculum est, ne circa fidem excidat, seu a fidei integritate et puritate aberret (9). Et Codex totus est in hoc inculcando, ut patet ex

---

(6) Quod probe intelligens Bonifacius VIII, c. 34 de elect. etc., (I. 6) in 6°, potestatem fecit episcopis dispensandi ad septennium cum promotis ad parochiales ecclesias, qui nondum essent sacerdotes, et cuperent in scientia proficere, ab obligatione suscipiendi sacerdotium intra annum, quia Ecclesia « ad sui regimen viris litteratis permaxime noscitur indigere ». Cfr. de iure Codicis praescriptum can. 421 § 1 n. 2.

(7) Cfr. litt. encycl. Leonis XIII «Aeterni Patris» 4 aug. 1879 sub finem: « Principio quidem, quum in hac tempestate nostra machinationibus et actu fallacis cuiusdam sapientiae, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, parati semper, secundum apostolica monita, ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quae in *nobis* est, spe (I Petr. III, 15) et exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere (I *Tim.*, I, 9) ».

(8) I *Tim.*, VI, 20.

(9) Cfr. Knabenbauer, *in epist. I ad Tim.*, l. c. Quae omnino in mentem revocant verba Pii X in initio epist. encycl. *de modernistarum doctrinis* : « Pascendi divini gregis mandatum Nobis divinitus officium id munus in primis a Christo assignatum habet, ut traditae sanctae fidei depositum vigilantissime custodiat, repudiatis profanis vocum novitatibus atque oppositionibus falsi nominis scientiae... etenim auctore humani generis hoste, numquam defuere viri loquentes perverse (Act. XX, 30), vaniloqui et seductores (Tit. I, 10) errantes et in errorem mittentes

magna cura, quam habet, ut philosophia rationalis ac theologia alumnis seminariorum tradatur « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia » (10).

CANON 130.

§ 1. *Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.*

§ 2. *In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt.*

1. Quod iam in aliquibus regionibus fuerat introductum, et compertum fuerat bonos dedisse fructus, id canone isto in ius commune inductum est : incitatio et aemulatio ad studia clericorum. Scilicet horum vita contineri debet pietate et studio: pietate, quae ipsos doceat vitam cum Christo traducere caelestibus inhiantem ; studio, quod ipsos removeat ab otiositate, quae eos abstrahit a procurando bono animarum et ad vitia sensim et pedetentim inclinat. Ad hoc studium urgendum vult hic Codex impedimentum removere. Facile est, ut quum primum clericus studiorum curriculum explevit, statim adeo exterioribus occupationibus implicetur, ut, etiam sub specie boni, libris in aeternum clausis, *de agendo* unice sit sollicitus. Verum prima illa institutio perficienda est, et necessarium simul, ut clericus, quando iam semel inivit vitam perpetuo ducendam,

---

(II Tim., III, 13) ». Et post multa: « Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII mandata (Instr. S. Congr. Neg. Eccl. Extr. 27 nov. 1902) : Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem, quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem novam christianam humanitatem ; aliaque id genus multa ».

(10) Can. 1366 § 2.

assuescat eam ita agere, ut duo illi socii eam comitentur continuo. Nam quemadmodum pietas, ita etiam studium non debet esse clerico phaenomenon quoddam transiens et ad pueriles vel iuveniles tantum annos constrictum, sed continens et perpetuum, quantum peculiares conditiones et adiuncta permittunt. Hinc

2. § 1. ***Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti,*** — quod peculiariter indicatur, ne quis putet aut examen ad ea beneficia assequenda forte peractum, aut honorificum munus sibi comparatum eum ab obligatione solvisse ;

nisi ab ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, — nam evidenter practice non una forte erit causa dispensandi, ut si eruditissimus quidam in scientiis sacris, et omnibus sub hac qualitate notus, in adultiore aetate ordines susceperit;

examen singulis annis saltem per integrum triennium, — igitur *ad minimum* per triennium et *semel saltem* in anno (1), — ***in diversis sacrarum scientiarum disciplinis,*** — sive, ut puto, divisim, sive complexive, — ***antea opportune designatis,*** — ita ut praeparatio praecedat et ne quis perfunctorie, neglecte et oscitanter debitum officium adimpleat; — ***subeant secundum modum ab eodem ordinario determinandum.*** — Quare omnes circumstantiae examinis huius, quod ad materiam attinet, ad durationem, ad numerum examinatorum, ad interrogationes proponendas, etc., id ordinarii arbitrio determinandum est.

3. § 2. ***In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum, qui ceteris paribus in memoratis periculis magis praestiterunt.*** — Incitationi ad studia prosequenda ipsa examinis annualis constitutione, quae supra in § 1 continetur, additur hic aemulatio,

---

(1) Agitur hic de sacerdotibus *secularibus* ; regulares illud producere debent ad quinquennium ex can. 590.

praescribendo ordinariis, ut ratio eius habeatur quod ad collationem attinet officiorum et beneficiorum (2). Certe per se clerici omnes sui muneris partes diligentissime implere debent, temporalibus retributionibus pro suo ministerio numquam inhiantes. Sed legislator humanae fragilitatis conscius ea quoque curare debet, quae plerumque humanitatis solatium sunt.

CANON 131.

§ 1. *In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos* collationes *seu* conferentias *vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.*

§ 2. *Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.*

§ 3. *Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt.*

1. Non solum privatis exercitationibus, sed etiam publicis cavendum est, ut sacerdotes studia ne deserant, sed imo eis continenter vacent. Ad hoc autem inductae sunt iam ab antiquiore tempore (1) eae, quae *conferentiae* seu *collationes* dictae sunt, idest conventus de re morali et liturgica, ut scilicet primis sacerdotes ne obliviscantur iis, quae ad sacras confessiones

---

(2) Ratio quidem habenda est istius examinis ; at illud non sufficere ad provisionem paroeciarum durante eo tempore, quo sacerdotes illud subire tenentur, etsi factum fuerit coram episcopo et examinatoribus synodalibus, edixit iam Comm. Interpr. Cod. 24 nov. 1920 ad 6 (A. A. S. 1920 p. 574).

(1) Cfr. methodum a clero servandam in conventibus casuum conscientiae et liturgiae a Benedicto XIII praestitutam, secundum praescripta Concilii Romani suo tempore habiti.

audiendas, ad fideles suas obligationes docendos, etc., necessaria sunt ; aliis vero ut ecclesiasticas functiones peragant honeste et decore.

§ 1. ***In civitate episcopali,*** — *praecipue,* ut patet evidenter, ob maiorem numerum clericorum, eorum etiam qualitatem, scientiam et eruditionem, — ***et in singulis vicariatibus foraneis,*** — mens enim Codicis est, ut quisque clericus in aliquo loco dioecesis ad conferentias has habeat partem.

saepius in anno. — « *Saepius* quandoque duabus vicibus contenta est, regulariter tamen tres requirit actus »; ita Barbosa (2). Et puto hic regulariter eam vocem accipiendam, quatenus *tres saltem* requirat coetus cogendos; quamvis ordinarius generaliter plures exigat. Romae conferentiae hae cleri duodecim in anno habentur (3).

diebus arbitrio ordinarii loci praestituendis conventus habeantur, quos collationes seu conferentias vocant, de re morali et liturgica. — Quae omnia patent ex dictis: et attendatur, propter hoc etiam ordinario demandari, ut praestituat dies coetuum ; — ***quibus addi possunt aliae exercitationes, quas ordinarius opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam ;*** — exercitationes hae addi quidem *possunt,* non igitur praescribuntur, et de his agere debent, quae conducant ad scopum in canone indicatum, qui est omnis harum conferentiarum scopus (4).

---

(2) *Tract de dictionibus, etc.,* dict. 362, ubi citat l. 8 Ad leg. Iuliam de vi publ. etc., C., in qua *saepius* supponit saltem pro *tribus* vicibus (« et hi qui his aut saepius violentiam perpetrasse convincuntur ») et l. 7 de edendo D. (II. 13), ubi dicitur supponere aliquando pro *duobus* vicibus (« quod ita accipitur, quoties opus erit : nam potest fieri ut bis editam sibi rationem quis perdiderit, ut verbum *iterum* pro *saepius* accipiatur »).

(3) Ex Benedicto XIV, l. c., singulis hebdomadis alternatim modo casuum modo rituum habenda est congregatio.

(4) Secundum praescriptum Benedicti XIII ab initio debebat legi per horae quadrans aliquod caput e synodo provinc. aut diœcesana, quod praefectus explicaret ; mox habebatur discussio casus moralis aut liturgici a duobus sorte eligendis facienda ; deinde exercitatio practica liturgica habenda erat, quam sequeretur oratio mentalis punctis iuxta methodum S. Francisci Salesii a sacerdote designato traditis, quae alius sacerdos sorte eligendus commentaretur, «ut unusquisque in hoc tam necessario utilique orandi modo exerceatur ».

2. § 2. ***Si conventus haberi difficile est,*** — quod facile evenire potest in vicariatibus foraneis ob distantiam paroeciarum et penuriam sacerdotum, quo meliori modo fieri potest consuetae conferentiae supplendum est, et — ***resolutae quaestiones scriptae mittantur*** — ad praesidem conferentiarum in civitate episcopali, vel ad vicarium foraneum, si de vicariatibus agitur, — ***secundum normas ab ordinario statuendas.***

3. § 3. ***Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent... tum omnes sacerdotes seculares,*** — omnes omnino, etiam non approbati ad confessiones; — ***nisi a loci ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint;*** — dispensari igitur aliquando potest ex causa, sed dispensatio debet esse *expressa*, nec sufficit proinde tacita aut praesumpta; — ***tum religiosi, licet exempti, curam animarum habentes,*** — quia in his non attenditur qualitas exempti, multo magis, quod parochi religiosi *qua tales* subsunt « omnimodae iurisdictioni » ordinarii loci (5).

et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi, qui facultatem audiendi confessiones ab ordinario obtinuerunt. — Decet enim hos praecipue, idest confessarios, conferentias frequentare, ne indocti ad ministerium valde delicatum et saepe haud facile in dioecesi habeantur. Sed medium hoc est in subsidium datum, quod proinde non urget, si iam in domo religiosa conferentia debito modo fiat. Nam convenientius est, ut religiosi, si possibile sit, non cogantur extra claustra exire, praesertim monachi aut caenobitae, qui contemplativae potius vitae addicti sunt.

---

(5) Can. 631 § 1.

CANON 132.

De Susanis M., De coelibatu sacerdotum non abrogando, Venetiis 1565. — Toletus F., De sacrorum ministrorum coelibatu, Venet. 1569. — De Guzman F., De sacris ministris et coelibatu, Venetiis, 1569. — De Medina M., De coelibatu ecclesiastico, Venetiis, 1569. Cassandri G., De coelibatu sacerdotum, Helmstadii, 1631. — Franz I. G. F., De coelibatu ecclesiastico, Lipsiae, 1761. — Zaccaria F. A., Storia polemica del celibato sacro, Roma, 1774. — Id., Nuova giustificazione del celibato sacro, Fuligno, 1785. — Buininck, Coelibatus clericorum firmatus, Dusseld., 1786. — Cephalius F., Vindiciae coelibatus, Aug., 1787. — Klitsche T. F., Geschichte der Cölibats der katholischen Geistlichen, Augsburg, 1830. — Carové F. W., Ueber d. Cölibatsgesetz d. röm. kath. Clerus, 1832. — Penka, Uberior coelibatus sacerdotalis expositio, Cracoviae, 1846. — Pay, Du célibat ecclésiastique, Paris, 1852. — Dufieux, Nature et virginité, considérations physiologiques sur le célibat religieux, Paris, 1854. — Roskovàny A., Coelibatus et Breviarium, duo gravissima clericorum officia e monumentis omnium seculorum demonstrata, Pestini, 1861. — Schmitt J., Der Priestercölibat, 1870. — Camauer, Du célibat des prêtres au XIX^me^ siècle, Bruxelles, 1874. — Holtzendorff F., Der Priestercölibat, Berlin, 1875. — Bickell G., Der Cölibat, eine apostolische Anordnung, in *Zeitschr. f. kath. Theol.*, II, 26 sqq., III, 752 sqq. (1878-79). — Laurin F., Der Cölibat der Geistlichen nach canonischen Rechte, Wien, 1880. — Lea H. Ch., An historical sketch of sacerdotal celibacy in the Christian Church, Philadelphia, 1891. — Vassal A., Le célibat ecclésiastique au I^er^ siècle de l'Eglise, 1896. — Heigl F. D., Zölibat. Gedanken und Tatsachen, Berlin, 1902. — Vacandard E., Les origines du célibat ecclésiastique, in *Revue du Clergé Français*, 1905. — Meschler M., Vom kirklichen Zölibat, in *Stimmen aus Maria-Laach*, 1912.

§ 1. *Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo praescripto can.* 214, § 1.

§ 2. *Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt.*

§ 3. *Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorundem ordinum exercitio prohibetur.*

1. Hucusque egit Codex de *positivis* obligationibus, quibus tenentur clerici quod attinet ad externam vitae rationem ab ipsis ducendam. At praeter positivas has obligationes sunt etiam, et plures, obligationes quas dixerim *negativas*, quibus scilicet non quidem aliquid faciendum praecipitur, sed potius aliquid omittendum.

Has obligationes auctores generatim dividunt in triplicem classem, in eas nempe, quae morum honestatem seu directe seu indirecte respiciunt; in eas, quae spectant ad decorem status clericalis; in eas, quae pertinent ad occupationes a statu clericali alienas.

Circa eas autem, quae directe seu indirecte respiciunt morum honestatem, in quantum haec morum honestas externe prodit, omnia reduci possunt ad prohibitionem cohabitationis vel consuetudinis cum mulieribus, praesertim illius intimae cohabitationis et consuetudinis, quae vigere debet inter virum et uxorem. De hoc in canone praesente.

His suppositis, ad exegesim verborum ipsius primae paragraphi brevissime deveniendum est. Dicitur autem :

2. § 1. ***Clerici in maioribus*** — non igitur *in minoribus*, de quibus in sequente paragrapho, — ***ordinibus constituti a nuptiis arcentur.*** — Est autem prohibitio, et quidem *gravis:* non agitur autem hic de sanctione iuridica prohibitioni apposita, nec specificatur, utrum de lege tantum prohibente agatur, an forte de irritante : de hoc postea ad can. 1072.

et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint. — Ecclesia enim « annexuit ordini sacro votum...; etsi vero votum (quis) nollet, nihilominus ad castitatem teneretur ex praecepto Ecclesiae, quod cum sit ex motivo religionis, efficit, ut peccatum contra castitatem sit etiam sacrilegium. Quod quidam dixerunt, *quod talis si peccaret contra castitatem, non committeret sacrilegium..., hoc nec satis probabile videtur, et est contra communem* quia castitas ex motivo religionis praeciperetur (S. Alph l. 6, n. 810, coll. n. praeced.). Verum si probabile sit, ad actus mere internos legem Ecclesiae non porrigi, de peccatis mere internis contra castitatem, dubitare licebit, an in hac hypothesi

sint sacrilegia, quamvis ex alia parte malitia augeatur eo quod nolit hic emittere votum » (1).

salvo praescripto can. 214 § ***1,*** — scilicet de eo, qui ordinem sacrum suscepit ex metu, nec postea remoto metu ordinationem vel tacite ratam habuit.

3. Quod ad clericos *minorum ordinum*, regula generalis, iam a multis seculis post antiquiorem legislationem aliquantulum vagantem constituta, hic ponitur sic enuntiata :

§ 2. ***Clerici minores possunt quidem nuptias inire*** (2), ***sed... ipso iure e statu clericali decidunt.*** — Id quidem antiquo iure non procedebat, sed uterque status tunc compatibilis erat : quamvis clericis istis vel, ante

---

(1) Ita Ballerini-Palmieri, IV, 240. Et nota sequentia ex Rufino, *Summa decretorum* (ed. Singer, pag. 63) : « *Diaconi*. Nunc vero usque adeo lex castimonie in predictis tribus ordinibus robur virtutis obtinuit, ut etiam si vota continentie in ordinatione sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum minime exprimantur, nichilominus ibi annexa esse iudicentur, in tantum ut quisque — sive facto voto sive pretermisso — aliquem illorum trium ordinum susceperit, nulla ratione de cetero matrimonium contrahere possit. Quod ex pluribus sequentibus capitulis declaratur... Sed obiicitur illud Cassiodori super psalmum : Notus in Iudea — ibi enim dicit quod quedam sunt, que, nisi promiserimus, implere non cogimur, ut virginitatem servare. Item in Exodo et Levitico, ubi de sacerdotalibus vestibus tractatur, dicitur quod de omnibus aliis vestimentis dicit Dominus ad Moysen : Indues eis et Aaron fratrem tuum et filios eius ; solummodo autem de feminalibus sive campestribus habetur : Induentur eis Aaron et filii eius — quasi : non tu indues, quia hec, scilicet castitas, inter cetera alia sola suaderi potest, imperari non potest. Quare itaque presbyteri, diaconi, subdiaconi servabunt continentiam quam non voverunt ? Sed sciendum, quod, quemadmodum propriis abrenuntiare simpliciter nulli precipitur, tamen si monachus quis factus fuerit, ei possidere propria interdicitur ; ita nemini generaliter onus imponitur continentie : tamen si hos ordines quispiam susceperit, ipsum continere perpetuo oportebit. Unde et auctor super illum locum de vestimento feminalium ait : Qui vult esse sacerdos, ipse se vestiat, quasi : sacerdos rite esse non poterit, nisi continens fuerit. Denique interroganti, quare hodie in his tribus ordinibus vota continentie exigantur, cum preter hoc etiam preceptis castimonie alligentur, illud Tolletani concilii respondeatur : — Solet — inquit — plus teneri quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur (cfr. c. 3 D. 28 : Conc. Tolet. IV) (Cap. I). *Diaconus* etc. Q. *si in ordin. tacuer.* Hoc secundum presentis temporis modernitates exaudiendum est, quando, etiam si non promittit, tamen ordinatus postea matrimonio iungi non poterit ».

(2) Cfr. Concilium Toletanum II (527-531), c. 1 (c. 5 D. 28).

Bonifacium VIII, omnia privilegia status clericalis denegata sunt (3), vel, post ipsum, relicta sunt tantum privilegia *canonis* et *fori*, dummodo tamen cum unica et virgine contraxissent et tonsuram ac vestes clericales gestarent. Concilium postea Tridentinum conditionibus Bonifacianis aliam addidit, scilicet quod servitio alicuius ecclesiae ab episcopo essent deputati.

At clericis coniugatis non fuit permissum obtinere beneficia ecclesiastica, et iure, ne bona Ecclesiae in sustentandis clericorum familiis destinarentur. Hinc INNOCENTIUS III, in c. 5 tit. *de cler. con.* X. (III. 3), postquam dixit: « Accepimus autem quod quidam clerici tuae dioecesis, qui matrimonium contraxerunt, ecclesiastica beneficia detinere contendunt: in quorum conversatione cithara cum psalterio male concordat » (4), iubet eos beneficiis privari (5), tum quia talis clericus divisus est (6), nec potest quae Dei sunt satis cogitare (ad quod beneficium est institutum, quod propter officium spirituale datur) (7), cum quia « rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire » (8).

---

(3) cc. 7. 9. tit. cit. X. (III. 3).

(4) *Glossa* per *citharam* intelligit *vitam activam* seu *laicalem*; per *psalterium, vitam contemplativam* sive *clericalem*.

(5) Nam bene, ut habet *Glossa* in c. 1 h. t. v. « relinquenda »: « et merito compellendi sunt ut eam dimittant, quia vacare intelliguntur ipso iure ».

(6) Scilicet inter uxorem, cui quomodo placeat cogitare debet, et Deum, in cuius laudes et servitium debet occupari ratione status. Quare in hunc locum dicit *Glossa*: « quia pluribus intentus minor est ad singula sensus: et dum ad utrumque festinant, neutrum bene praestant. Unde verius: Qui duos lepores una sectetur hora, Uno quandoque, quandoque carebit utroque ».

(7) Hinc Ivo CARNOTENSIS, *Epistola* 218 *ad Gualonem episc. Parisien.* (M. P. L., CLXII, 222), scribebat: « Ad hoc quippe fidelium oblationes in stipendia clericorum deputatae sunt: ut et continenter vivant et benefactorum suorum peccata sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatenus hi, de quorum eleemosynis vivunt, hoc eorum meritis assequantur: quod assequi suis meritis non merentur. Quamdiu ergo in hoc agone positi ab omnibus, a quibus abstinendum est, se abstinent, merito stipendiis militiae suae habentur digni: quum autem ea servare contempserint, eisdem iudicantur indigni ».

(8) Et vere in Concilio Ticinensi (Papiensi) sub Benedicto VIII, dicitur: « Reges utique et imperatores Christum secuti, et populus catholicus armis fidei acquisitus, amplissimis patrimoniis ecclesiam ditaverunt et exquisitissimis eam possessionibus ad mare usque ampliaverunt. Sed bene parata male sunt conservata... Ipsi quoque clerici, qui sunt de familia ecclesiae, si sunt dicendi clerici qui vivunt ut ethnici, quum sint ab omni muliere legibus exclusi, ex liberis mulieribus filios procreant, ancillas ecclesiae hac sola fraude fugientes, ut matrem liberam filii quasi liberi

At si clerici minores aut non essent beneficiati aut beneficium dimitterent, permittebatur eis uxorem retinere et simul in clericatu manere. Nunc ab uxore ducenda non prohibentur, sed clericatum ipsum dimittere debent, vel potius ab eo decidunt ipso iure: quare non solum deperdunt omnia privilegia clericalia, sed ipsum amittunt ius deferendi vestes clericales (9).

4. ***nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso,*** — ac proinde, argumento e contrario, etsi fuerit nullum ratione impedimenti obstantis aut formae. Ratio autem est, quia ius statuit non posse in praesenti coexsistere voluntatem contrahendi matrimonium et voluntatem manendi in statu clericali. Voluntas autem ducendi uxorem in casu verificatur et ad actum reducitur etiam tunc, quum celebratur matrimonium, etsi actus non fuerit efficax. At si supervenit vis et metus, et in tali gradu, ut nullum exinde matrimonium fuerit, voluntas quidem illa habuit tunc quoque locum, sed imperfecte, quia etsi voluit, noluisset tamen (10). Quum igitur imperfecte tantum volitum est matrimonium, praeponderans voluntas iure praesumitur voluntas manendi in statu clericali.

At mirum est exceptionem statui pro matrimonio nullo ex vi et metu, non autem pro matrimonio nullo *ex errore* vel *ex defectu consensus*, quum tamen uterque iste defectus afficiat consensum. Verum attendenti patet in casu erroris excludentis consensum, voluntatem tamen contrahendi matrimonium etsi non cum ea persona, quacum de facto contractum est, revera affuisse, et proinde contrahentem realiter fovisse voluntatem incompossibilem cum voluntate clericatus; in casu vero defectus consensus agi de matrimonio non solum nullo, sed inexsistente (11), quo in casu, quum actus natura sua inexsi-

---

prosequantur. Ampla itaque praedia, ampla patrimonia et quaecumque bona possunt de bonis ecclesiae, neque enim aliunde habent, infames patres infamibus filiis acquirunt... Sic filiis servorum in libertatem, ut falso commentantur, remanentibus, ecclesia utrumque, et servos perdit et conquisita. Sic ecclesia olim ditissima, incuria et malignitate praesidentium et incorrecto ausu clericorum pauperrima est effecta nostris temporibus. Sic annullatur ecclesia ; sic mendicat ».

(9) Et merito ; nimis enim aperte repugnat nostris moribus videre clericos urbes nostras circumeuntes uxore comitatos, filiis ac filiabus.

(10) Cfr. dicta ad can. 103 (Ojetti, *Comment. in Cod. I. C.*, II, p. 145 sqq.).

(11) Secundum quosdam alius est actus *inexsistens*, alius actus *nul-*

stens nihil affirmet sed neget tantum, matrimonium ne apparentiam quidem habere potest actus iuridice exsistentis, et proinde ex ipsa natura rei, argumento a fortiori, excluditur a sanctione.

5. § 3. ***Coniugatus, qui sine dispensatione apostolica ordines maiores ... suscepit, ab omni ordinum exercitio prohibetur.*** — Iure antiquo seu ante Codicem, coniugati non solum non erant irregulares, imo ne impediti quidem ad ordines, quales nunc sunt (12), sed sub diversis conditionibus et ad ordines recipiendos admittebantur et ad ordinum receptorum exercitium. Sed uxore uti post receptos ordines in ecclesia latina non poterant (13).

Scilicet antiqua disciplina quod ad hoc his continebatur: maritus sine consensu uxoris libere dato non poterat admitti

---

lus, alius, multo magis, actus *rescindibilis* tantum. Actus inexsistens ille est, in quo deest aliquod elementum, quod sive ex natura rei, sive ex lege necessarium omnino est ad habendum actum iuridicum validum. Actus nullus est actus iuridice exsistens, in quo tamen reperitur vitium eius validitatem inficiens. In contractu duo sunt naturaliter necessaria ad eius exsistentiam : consensus et obiectum seu materia contractus. Si quid horum desit, habemus contractum non nullum, sed inexsistentem. Sic in matrimonio, si sponsi non exprimunt consensum, non adest, non exsistit matrimonium, ne vitiatum quidem. Contra, si in consensu reperitur vitium, ortum ex metu vel ex errore, habetur, saltem in certis casibus, nullitas matrimonii. Item contractus celebrandus est circa materiam aptam et determinatam : in matrimonio ea est unio corporum in mare et femina. Si supponatur matrimonium contractum inter duos mares vel duas feminas, matrimonium non est nullum, sed inexsistens. Nonnulli inexsistentem actum dicunt, non mere nullum, tunc etiam, quando defectus verificatur in actu ex parte formae substantialis non servatae. Ita in iure nostro forma substantialis matrimonii in eo est, ut matrimonium contrahatur coram parocho et testibus : matrimonium contractum coram parocho incompetente, ex. gr. extra territorium, esset matrimonium nullum, contractum sine parocho esset matrimonium inexsistens. At inexsistentia seu nullitas ista, quum non ex natura rei proveniat, sed ex lege, non comprehenditur in generali assertione, secundum quam iura generatim non considerant actus inexsistentes, quum legislator curam habeat eorum, quae sunt, non eorum, quae non sunt. Hinc in iure nostro in considerationem saepe venit actus mere attentatus, ut ex. gr. matrimonium mere civile, quod contrahere praesumeret clericus in sacris vel religiosus sollemniter professus.

(12) Can. 987 n. 2.

(13) Dixi : « in ecclesia latina », quia de ecclesia *graeca* aliud dicendum est, non quidem antiquissimo tempore, sed inde a Concilio Trullano (a. 692), c. 13, quod remissiorem illam disciplinam approbavit, quae etiam nunc in ea viget pro omnibus clericis maiorum ordinum (exceptis semper episcopis), quibus uxore ante ordinationem suscepta, quousque viveret, uti permissum est.

ad ordines (14), etsi uxorem nondum cognitam derelinquere vellet; aut nisi ageretur de uxore, quae ob adulterium (15) ius amisisset in perpetuum petendi debiti. Sed neque id sufficiebat, nam ex praescripto c. 5 *de convers. coniugat.* « nullus coniugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus ». Quare requirebatur praeterea *professio continentiae* ex parte uxoris relictae, praesertim si uxor iuvenis esset aut suspecta de incontinentia, nisi ageretur de matrimonio tantum rato, quod dissolutum fuisset per sollemnem *professionem religiosam* mariti. Professio autem, quae requirebatur, per se erat sollemnis, ast in casu mulieris iam vetulae et non suspectae sufficiebat votum simplex castitatis in congregatione religiosa, sive etiam in seculo, saltem permittente S. Sede (16). Haec quidem si agebatur de coniugato promoto ad presbyteratum inclusive; nam si de coniugato ageretur promovendo ad episcopatum, uxor, etsi nec iuvenis nec suspecta de incontinentia, debuerat prius, id est ante consecrationem mariti, religionem sollemniter professam esse (17).

Iure novo Codicis coniugati omnes, si contra praescriptum can. 987, n. 2, promoti fuerint ad sacros ordines, ab eorum exercitio arcentur.

licet bona fide. — Nec eos excusat bona fides, quam ipsi forte habuerint vel etiam ordinantes episcopi.

Haec autem sanctio non eos tenet, ut patet, qui interveniente dispensatione apostolica (quae proinde etiam *practice possibilis* hic asseritur) ordines susceperint.

---

(14) cc. 5. 6. de conv. coniug. X. (III. 32); c. un. de vot. etc. (tit. 6.) in Extravag. Ioann. XXII.

(15) c. 4. de divort. X. (IV. 10); c. 15 tit. cit. X. (III. 32).

(16) Benedictus XIV, *De Synod.*, XIII, 12. 10. sqq.

(17) c. 6 de conv. coniug. X. (III. 32).

EXCURSUS ad can. 132.
De caelibatu clericorum.

1. « Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur ». Si quis historice consideret, utrum clerici ab initio Ecclesiae usque ad nostra tempora vitam caelibem servaverint, videbit profecto non unam fuisse semper agendi rationem.

Quum primis christianismi temporibus ii, qui convertebantur, plerumque adulti et matrimonio iuncti essent, et praeterea Romanorum legibus vita caelebs prohiberetur, necessarium omnino fuit, ut non solum caelibes, sed etiam, imo plerumque, coniugati in clerum ascriberentur.

Ceterum ipsa traditio ecclesiastica referebat, apostolos fuisse coniugatos, praeter Ioannem et Paulum (1), quamvis Scripturae nonnisi de Petro (2) testentur coniugium. Praeterea PAULUS repraesentat episcopum tamquam uxoratum (3).

Attamen, ut bene advertit BERN. JUNGMANN (4), ob sanctitatem functionum sacerdotalium, sacrificii praesertim immaculati, nec non ut clerici fidelibus ceteris praeberent exemplum servatorum consiliorum Christi Domini, factum est, ut progredientibus temporibus prospiceretur magis caelibatui clericorum. Iam ipse PAULUS hortatus fuerat coniuges fideles, ut sese ad invicem non fraudarent nisi forte ad tempus, ut orationi vacarent, idest communioni (5). Porro clerici, sacerdotes saltem, saepissime id facere debebant. Erat ergo valde congruum, ut ab uxoribus abstinerent.

Hinc iam inde a primis temporibus, praxi saltem, inductum est, ut advertit JUNGMANN (6) :

a) ut bigami in clerum non admitterentur, quamadmodum constat ex pluribus locis PAULI ;

b) ut ii, qui caelibes in clerum admittebantur, non possent

---

(1) « Omnes apostoli, exceptis Ioanne et Paulo, uxores habuerunt ». Ita AMBROSIUS, in II Cor., XI, 2 (M. P. L., XVII, 320).

(2) MATTH., VIII, 14; MARC., I, 30. LUC., IV ,38. Pariter quod ad septem diaconos Scripturae id non affirmant nisi de Philippo (*Act.*, XXI, 8. 9).

(3) « Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum... suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate » (*I ad Tim.*, III, 2 sqq.).

(4) *Diss. sel. in hist. eccl.*, diss. XX n. 6.

(5) *I Cor.*, VII, 5.

(6) Loc. cit.

amplius inire matrimonium, quemadmodum constat ex *Canone* 27 (26) *Apostolorum* (7);

c) ut qui iam matrimonio iuncti maiores ordines recipiebant, plerumque exinde renuntiarent eius usui et continentem vitam agerent.

2. Utrum autem hisce prioribus seculis universali lege clericis praescriberetur caelibatus, an usu tantum et consuetudine observaretur, non una est doctorum sententia (8). Fatendum est probabiliorem videri sententiam alteram. Videtur enim continentia consilio Christi Domini et apostolorum exemplo fuisse introducta, eaque tum ob sui praestantiam cum ob maiorem, quam in fidelium animos excitabat, venerationem et filialem amorem erga sacerdotes, tanti fuisse aestimata, ut sacerdos non caelebs habitus fuerit anomalia, ingratum quid et incongruum (9). Hac exsistente persuasione in fidelibus, tunc demum, ut videtur, legibus *obligatio* sancita est. Id autem factum scimus in Synodo Illiberitana (a. 305 vel 306, secundum alios a. 313 vel 324) (10), c. 33 (11), et in Neocaesariensi (circ. a. 314-325) (12), c. 1 c. 9 dist. XXVIII et in celebri *epistola* Siricii (a. 385) *ad Himerium Tarraconensem*

---

(7) « Ex iis, qui non ducta uxore ad clerum promoti sunt, iubemus, si velint, uxorem ducere lectores et cantores tantum (ἀναγνώστας καὶ ψάλτας ». Cfr. *Constit. Apostol.*, VI, 15.

(8) « Acrior controversia », scribit Jungmann, loc. cit., p. 159 not. 3, « de caelibatu priorum Ecclesiae saeculorum orta est nuper inter cl. G. Bickel et cl. F. X. Funk. Alter contendit, inde ab Apostolis lege universali ac stricta caelibatum et continentiam clericis praescripta fuisse ; oppositam sententiam alter vindicavit. Vid. Theol. Zeitschrift II. 26 sqq. III. 792 sqq. (Innsbruck 1878-79) et Theol. Quartalschrift LXI pag. 208 sqq. LXII p. 202 sqq. (Tübingen 1879-80). Quid hac in re censeamus, ex dictis colliges. Cfr. de caelibatus origine et historia Laurin, Der Cölibat etc. p. 63 sqq. ».

(9) Hanc Christianorum mentem probare videntur verba Origenis († 254) *Hom.* 23 *in Num.* (M. P. L., XII. 746) : « Illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se voverit castitati ».

(10) Circa annum quo Concilium celebratum est, confer doctam discussionem, qua Hefele, *Hist. des Conciles* (trad. Delarc), 1 § 13, verisimiliter statuit a. 305 aut 306.

(11) Haec est antiquissima omnium praescriptio caelibatus pro clericis : « Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios : quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur ». Ubi nota ambiguam phrasim : « prohibere... abstinere se... et non generare », quae *per se* contrarium potius indicaret, nisi ex contextu evideter erueretur obiectum prohibitionis. Ceterum expressio aeque non accurata et ambigua habetur in canone 80 eiusdem Concilii : « Prohibendum ut liberti... ad clerum non promoveantur ».

(12) In quo Pafnutius episc. hanc regulam defendit tamquam ἀρχαῖαν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας.

(cc. 3. 4. D. LXXXII), qua Pontifex interrogatus, nihil dubitans, respondet eos, qui sunt in maioribus ordinibus constituti, teneri ad caelibatum, neque solum ex consuetudine, sed ex lege (13). Idem habet INNOCENTIUS in *epistola ad Victricium episc. Rothomagensem* (c. 4 dist. XXXI) (a. 404) et in alia *epistola ad Exsuperium episc. Tolosanum* (c. 2 dist. LXXXII) (a. 405); LEO MAGNUS in *epistola ad Rusticum episc. Narbonensem* (c. a. 458) (14); GREGORIUS MAGNUS in *epistola ad Leonem episc. Catanensem* (15). Fuerunt igitur huic legi subiecti episcopi, presbyteri, diaconi et a seculo XI subdiaconi quoque (16).

---

(13) At nota, Siricium non primum imposuisse clericis continentiam, ut CLICHTOVAEUM aliosque asseruisse refert BELLARMINUS, *De clericis*, lib. I, c. 19; nam multi Patres, multa Concilia anteriora id praestiterunt.

(14) *Epist.* 167 (M. P. L., LIV, 1199 et 1204, n. 1421).

(15) Lib. IV, ep. 36, (M. P. L., LXXVII, 710.)

(16) Quod ad *subdiaconos* attinet, confer *epistolam* eiusdem GREGORII *ad Bonifacium episc.* lib. IV, ep. 5 (M. P. L., LXXVII, 672) et *ad Petrum* subdiaconum Siciliae lib. I, ep. 44 (M. vol. cit., 498). Nam pro subdiaconis magna fluctatio etiam quod ad hoc habita est. Tempore Siricii, quum subdiaconatus in ecclesia romana nondum recenseretur inter ordines maiores, subdiaconi lege continentiae non tenebantur; sed tempore Leonis Magni fuerunt eadem lege obstricti (cfr. eius *epistolam ad Anastasium Thessalonicensem* a. 446, c. 1, D. XXXII), quam Pontifex quidem inculcavit, sed sine successu, quemadmodum factum est etiam sub pontificibus successoribus, donec seculo XI haec lex continentiae pro ipsis quoque firmiter constituta est. Ratio autem istius fluctuationis in eo reponitur a THOMASSINO (p. I, lib. 2, c. 61 n. 8), quod alicubi aliquo altaris ministerio subdiaconi fungebantur, alibi nullo; in iis autem locis aut illis temporibus, quibus ministerium altaris ipsis permittebatur, continentiae lege tenebantur, aliis locis vel temporibus lege eximebantur. Seculo autem XI certe iam subdiaconatus annumerabatur ordinibus sacris, ut patet ex c. 11 D. XXXII, qui fuit a GRATIANO attributus URBANO II, sed falso, et potius, ut opinatur BERARDI (*Gratiani canones*, p. II tom. 2 c. 85) secutus LABBEUM, ascribendus est ALEXANDRO II circa ann. 1065. Verum quidem est, Concilium Beneventanum a. 1091 sub Urbano II voluisse, ut episcopi non eligerentur nisi inter eos, qui pie vixissent « in sacris ordinibus », subdiaconi vero nonnisi opportunitate exigente « sed rarissime » eligerentur; sed forte id non significat, eos non fuisse enumeratos inter constitutos in sacris ordinibus, sed tantum regulam generalem pro iis fuisse restrictam. Neque etiam in contrarium facit illud, quod dicit PETRUS CANTOR († 1197) in suo *Verbo abbreviato* (M. P. L., CCV, 184. Wernz, *Ius Decr.*, II, 20,54, opus vocat *Verbum mirificum*: certe operi varii fuerunt tituli, sed « mirificum » numquam dictum fuit, ut puto: « abbreviatum » autem ideo dictum, quia his praecise verbis incipit: « Verbum abbreviatum »): « De novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem »; « de novo » enim optime dici poterat, si haec institutio locum non habuisset ultra centum annos. Quum igitur inter sacros ordines annumeratum fuerit in ecclesia latina et proinde ad ministerium altaris propius accederet, iam continentiae lege fuerunt astricti. Id autem RUFINUS Summa decretorum (ed. Singer, pag. 63 in initio), sequentibus indicat: « Dist. XXVII. *Quod autem unius uxoris* etc. In hac distinctione agere incipit de continentia clericorum: ubi ante omnia dicitur quod nullus in diaconum vel sacer-

3. Quare nunc ea regula sine exceptione viget, ut clerici omnes in sacris continentiae lege teneantur (17). Obligatio autem haec est de *lege ecclesiastica*, quae clericis praecipit tum castitatem, cum modum eam profitendi, scilicet ex voto (18). Quae quidem omnia applicanda sunt omnibus et singulis clericis maiorum ordinum *ritus latini* (19).

4. In *ritibus orientalibus* permittitur clericis (non tamen episcopis) usus uxoris ductae *ante* susceptum primum ordinem maiorem (20); sed exinde omnes inhabilitati ad nuptias exsistunt, ita ut matrimonium postea nec licite nec valide contrahere possint. Id autem certum omnino est pro *Italo-Graecis*, pro *Ruthenis*, pro *Maronitis;* at quod ad *Graecos* generatim non est omnino definiti iuris, quamvis omnia inclinant doctores ad hanc sententiam tamquam certam retinendam (21).

5. Quod autem attinet ad *minores* clericos, eis uxores generatim antiquo tempore fuisse concessas nimis evidens est in toto iure, quamvis in quibusdam provinciis lectores ipsi et psalmistae ali-

---

dotem ordinetur, nisi professus continentiam... In summa autem hic sciendum est quia usus apud antiquitatem optinuit..., ut omnes quotquot clerici, et coniugia licita contraherent et iam contracta nichilominus propter (praeter ?) susceptos ordines exercerent, dummodo tempore quo in ecclesia ministrarent a coniugali officio abstinerent. Procurrente vero tempore cum ecclesie occidentali continentia placuisset, primum statutum est ut qui in sacerdotium promoverentur continentiam profiterentur... Postea vero...adiectus est etiam institutis continentie alius gradus scil. diaconorum... Denique...tertius gradus additus est, utique subdiaconorum ».

(17) cc. 1, 4 de cleric. coniug. X. (III. 3); tit. qui clerici vel voventes etc. X. (IV. 6) ; c. un. de consanguinit. (IV. un.) in Clem.; Concilium Tridentinum, sess. XXIV c. 9 *de ref. matr.*

(18) c. un. de voto (III. 15) in 6°; c. un. de voto et voti red. (tit. 6) in Extr. Ioannis XXII.

(19) Quare iure merito Benedictus XV scribebat 12 mart. 1919 ad Em. Card. Csernoch archiep. Strigonien. : « Eosdem volumus admonitos quam dedeceat sacerdotem catholicum, qui in coercendis cupiditatibus ceteros anteire debeat, ipsum infirmiorem videri. Quam ob causam alte vehementerque denuntient episcopi, nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis continentiae lege permitti posse quaestionem, quae quidem lex ab ipsa tamquam peculiare ornamentum habetur ecclesiae latinae, eiusdemque fons quidam praecipuus actuosae virtutis » (A. A. S., XI, pag. 123).

(20) c. 6 de cler. coniug. X. (III. 3) ; Instructio S. Congr. Prop. Fid. ad archiepisc. Fogarasien. 24 mart. 1858.

(21) Cfr. Concilium Tridentinum, loc. cit.; Constit. Benedicti XIV « Etsi pastoralis » 26 maii 1742 ; Papp-Szilàgyi, *Enchir. iur. eccl. orient cath.*, p. 32 ; Ballerini-Palmieri VI. 763 (6).

quando nuptiis interdicti fuerint, ut perspicuum est ex can. 14 Concilii Chalcedonensis (22) ; immo seculo XI, in Concilio Ticinensi (23), statutum fuerat ut « nullus presbyter, nullus diaconus, nullus subdiaconus, *nullus in clero* uxorem aut concubinam admittat..., quod si fecerit, secundum ecclesiasticam regulam deponatur « (24).

6. Hae tamen sanctissimae leges seculis praesertim IX ac X passim conculcatae fuerunt. In Germania praesertim, in Italia, in Gallia incontinentiae pestis inter clericos adeo se propagavit, ut clerici passim mulieres tamquam uxores haberent, imo publice nuptias et coniugia inirent, idque licitum, contrariis constitutionibus communi usu, ut iactabant, abrogatis, saepe etiam necessarium impia stultitia dicebant, ne quis mulierum expers nefando ac pessimo crimine ab Apostolo detestato sese inquinaret. Hinc fiebat, ut clericorum filii, in clerum et ipsi ascripti, uxores, filias forte aliorum clericorum, susciperent. Exinde Ecclesiae clerus

---

(22) Huius canonis primam partem refert GRATIANUS in decreto c. 15 D. XXXII. PITRA autem, *Iur. eccl. Graec. hist. et mon.*, I, P. 527, ita canonem latine reddit: « Quoniam in quibusdam provinciis concessum est lectoribus et psaltis uxores ducere, statuit S. Synodus non licere cuiquam ex his accipere sectae alterius uxorem. Qui vero ex huiusmodi coniugio iam filios susceperunt, siquidem praeventi sunt ut ex se genitos apud haereticos baptizarent, offerre eos ecclesiae catholicae communioni conveniet, non baptizatos autem non posse ulterius apud haereticos baptizari. Sed neque copulari debet nuptura haeretico, iudaeo vel pagano, nisi forte promittat ad orthodoxam fidem se personam orthodoxae copulandam transferre. Si quis autem hanc definitionem S. Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicae subiacebit ». Ubi PITRA hanc adiungit annotationem : « *Transferre.* Emergit inde integerrima catholicae Ecclesiae lex toties de matrimoniis mixtis inculcata, quae quidem diligenter expensa, lucem affert universae christianorum disciplinae et publicae et domesticae ».

(23) Hoc Concilium, quod ab antiquis plerisque (MANSI tamen annum incertum relinquit ; cfr. eius *Coll. Concil.*, vol. 19, c. 356) reponebatur a. 1022, quia ei Henricus imperator affuisse putabatur, qui eo anno in Italiam venerat, vere habitum antea est; in Concilio enim Goslarensi, quod celebratum est a. 1019, Concilii Ticinensis mentio fit. Cfr. HEFELE, *Hist. des Conciles*, tom 6 § 529 ex GIESEBRECHT, *Gesch. der Kaiserzeit*, II, 168, 561.

(24) Concilium autem concluditur decreto Papae (Benedicti VIII) in summam reducentis eius acta. Decretum constat septem articulis; quorum primus inscribitur : « Ut nullus in clero mulierem attingat » , alter : « Ut episcopus nullam fœminam habeat neque cum aliqua habitet »; tertius : « Ut filii clericorum servorum Ecclesiae, servi sint Ecclesiae cum omnibus acquisitis »; quartus: «Ut filiis clericorum servorum Ecclesiae nullus iudex libertatem promittat ». Reliqui tres articuli minus directe ad rem nostram faciunt. Hoc decretum Henricus sua sanctione munivit.

hereditarius imminebat, Ecclesiae divitiae pauperibus subtractae clericorum vitiis et familiis inserviebant. Maiores feudatarii hanc clericorum agendi rationem defendebant, ut plures clericos, qui saepe ex ipsorum familia (*vassalli*) erant, haberent, quibus facile dominarentur. Aderant tamen viri quoque sancti, qui vitium adeo nefandum totis viribus exstirpandum curarent (25).

Tandem Gregorius VII a. 1074 in synodo Romae celebrata decretum edidit, vel potius decretum a Leone IX (1049-1054) editum confirmavit et in praxim reduxit, prohibens clericis coniugia et quamlibet impudicitiam sub poenis gravissimis, et fidelibus interdicens ne missam clericorum coniugatorum, si forte hi missam celebrare ausi essent, audirent. Quae quidem prohibitio iam lata fuerat ab Alexandro II (1061-1073) praedecessore immediato Gregorii VII, ut refertur in can. 6, dist. XXXII, cui canoni appositum est sequens dictum Gratiani: « Prohibentur ergo de manibus talium sacerdotum sacramenta suscipi, non quin sint vera, quantum ad formam et effectum, sed quia, dum huiusmodi sacerdotes se a populo contemptos viderint, rubore verecundiae facilius ad poenitentiam provocantur ».

Plerique clerici contra haec decreta quam maxime mussitarunt, et dictitabant, Pontifici assumendos esse angelos, quos gregi christiano praeficeret. At vero hoc multum iuvit ad extirpandam a clero mulierositatem et ad denuo instaurandum fidelium sensum circa necessitatem et praestantiam caelibatus ecclesiastici.

7. Pontifices Gregorii successores totis viribus et ipsi incubuerunt, ut Ecclesiae non solum non auferretur, verum etiam augeretur insigne castitatis decus.

In his pontifices omnes auxilium et favorem inveniebant etiam in sensu omnium fidelium, exceptis illis, qui erant consanguinei clericorum aut eorum mulierum. In Italia seculo X efformata est quaedam societas, ut ita dicam, cui nomen datum est *Pataria*, quae in hoc consistebat, ut denegaretur quaecumque obedientia et reverentia presbyteris coniugatis, concubinariis aut simoniacis.

---

(25) In Italia Rotherius episc. Veronensis († 972), Otto Vercellensis († 960), etc. In Anglia Dunstanus archiep. († 988). Undecimo autem seculo Petrus Damiani, cuius liber *Gomorrhianus* ad Leonem IX (1049-1055) aliaque similia opuscula sunt celeberrima.

De hoc testem habemus BONIZONEM, qui in suo opere *Liber ad amicum* (26), dicit: « eis paupertatem improperantes, paterinos idest pannosos vocabant... crescebat quotidie gloriosum genus paterinorum ». Et alibi: « quod factum non mediocre Patariae dedit incrementum. Nam non solum Brixiae, sed et Cremonae et Placentinae et per omnes alias provincias multi se a concubinatorum abstinebant communione ».

Idipsum tempore a nostro haud multum distante renovatum est, quum sub Iosepho II Austriae imperatore in Universitatibus Friburgi et Bonnae denuo instauratus est inter clericos motus contra caelibatum ecclesiasticum. Anno 1830 ad abrogationem huius legis caelibatus petitio facta est ad comitia generalia Hassiae Darmstadii, et a professoribus Universitatis Friburgensis ad comitia Ducatus Aureliae Aquensis. Anno sequenti 1831 ducenti presbyteri in unum convenere, ut omnibus modis, libellis praesertim editis, caelibatum impugnarent. Sed restiterunt fideles, qui his sacerdotibus confiteri sua peccata noluerunt, eos a deferendo ss. sacramento in processionibus prohibuerunt, ad Regem Wurtemburgensem recursum habuerunt, declarantes, se malle potius sine sacerdotibus manere, quam habere sacerdotes uxoratos. In civitate Aurelia Aquensi (Baden-Baden) fideles transfretabant Rhenum, ut sacramenta reciperent a sacerdotibus provinciae Argentoratensis (Strassbourg). Tandem GREGORIUS XVI in litteris encyclicis « Mirari vos » 15 aug. 1832 haec clericorum tentamina reprobavit, eaque dixit « foedissimam in clericalem caelibatum coniurationem ».

8. Et hos motus fidelium vicissim pontifices adiuvabant. Sic LEO IX in eam venit determinationem, quam refert S. PETRUS DAMIANI (27): « In plenaria synodo sanctae memoriae Leo papa constituit, ut quaecumque damnabiles feminae intra Romana moenia reperirentur presbyteris prostitutae, ex tunc et deinceps Lateranensi palatio adiudicarentur ancillae. Quod videlicet salutare statutum aequitatis iustitiaeque plenissimum, nos etiam per omnes ecclesias propagandum esse decernimus, quatenus, percepto prius Apostolicae Sedis edicto, unusquisque episcopus

---

(26) Lib. VI (M. P. L., CL, 825, 828).

(27) *Contra intemperantes clericos*, diss. 2, c. 7 (M. P. L., CXLV, 411).

ecclesiae suae vindicet feminas, quas in sua parochia deprehenderit sacrilega presbyteris admixtione substratas. Aequitatis scilicet iure, ut, quae sacris altaribus rapuisse servorum Dei convincuntur obsequium, ipsae hoc saltem episcopo per diminuti capitis sui suppleant famulatum ».

Similiter STEPHANUS X (1057-1059) Roma expulit omnes presbyteros uxoratos et concubinarios, ut idem testatur PETRUS DAMIANI (28): « Alio quoque tempore, quum papa Stephanus... omnes clericos Romae, qui post interdictum papae Leonis incontinentes exstiterant, de conventu clericorum... praecepisset exire... tamen quia sancto viro inobedientes fuerant... iuxta canonicam Beatae Caeciliae... presbyter inhabitabat, quod nec feminam ullo modo acquiescebat abiicere, nec umquam poterat haec statuta, nisi vana prorsus et frivola iudicare ».

9. Et re quidem vera hi presbyteri non solum facto resistebant, sed et doctrinis. Sic idem PETRUS DAMIANI (29) dicit: « Sed dicunt: Nonne dicit Apostolus, propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat et unaquaeque virum suum; vir uxori debitum reddat et uxor viro ? Ecce, inquiunt, haec apostolica verba generalia sunt; et dum unicuique nubendi licentiam tribuunt, nos excipere non videntur ».

Alii gloriabantur de auctoritate conciliorum. Ita idem PETRUS DAMIANI (30): « Aliquando cum me Laudensis ecclesiae tauri pingues armata conspiratione vallarent ac furioso strepitu vituli multi infrenderent, tamquam ructum fellis in os meum evomuere, dicentes: Habemus auctoritatem Triburiensis, si tamen ego nomen teneo, concilii, quae promotis ad ecclesiasticum ordinem ineundi coniugii tribuat facultatem. Quibus ego respondi: Concilium, inquam, vestrum, quod vultis nomen accipiat, sed a me non recipitur, si decretis Romanorum Pontificum non concordat ». Canon concilii Triburiensis, cui hic alluditur, esse nequit alius, praeter 27 (31), qui ita se habet: « Statuimus, ut clericus ecclesiastice nutritus in ecclesia coram populo vel legens vel

(28) Loc. cit., c. 6 (M. P. L., CXLV, 409).
(29) Loc. cit., diss. I, c. 4 (M. P. L., CXLV, 392).
(30) Loc. cit. in n. 27.
(31) LABBE, *Concilia*, t. IX, p. 452.

cantans, si postmodum, relicto clericali habitu, a castris dominicis, quibus ascriptus est, profugit et apostata elabitur et ad seculum regreditur, ab episcopo canonice coerceatur, ut ad sinum matris ecclesiae revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur, ut iterum detondeatur, et postea nec uxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat ». Scilicet huiusmodi clericus amittit ius ineundi coniugium in poenam; ergo nisi peccasset, hoc ius habuisset. Attamen quaestio erat de lectore aut cantore, de clerico proinde minorum ordinum.

Alii provocabant ad vitae necessitates. Ita semper S. Petrus Damiani (32): « At nonnulli super hac quaestione conventi ad paupertatis illico patrocinium convolant, unde sibi clipeum frivolae excusationis opponunt. Muliebris, inquiunt, sedulitatis auxilio carere non possumus, quia rei familiaris inopiam sustinemus ».

Has et similes sui criminis defensiones, a presbyteris impudicis factas, perspectas habebat Gregorius VII, qui in litteris ad Albertum comitem Ballenstedensem et Adelheidam eius uxorem scribebat: « Quapropter quidquid illi contra nos, imo contra iustitiam, garriant, et pro defendenda nequitia sua vobis, qui illiterati estis, obiiciant, vos in puritate et constantia fidei vestrae permanentes, quae de sacerdotibus simoniacis aut in fornicatione iacentibus ab Apostolica Sede accepistis, firmiter tenete et credite » (33).

CANON 33.

§ 1. *Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.*

§ 2. *Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum provectiore aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.*

§ 3. *Iudicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo*

---

(32) M. P. L., CXLV, 392.

(33) Jungmann, *Diss. sel. in hist. eccl.*, diss. 20, 1, ex quo hic multa desumpsimus. Cfr. notam 19 ad h. exc. pag. 113.

casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere.

§ 4. *Contumaces praesumuntur concubinarii.*

1. § 1. ***Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.*** — Duo in hac paragrapho praescribuntur, aut potius vetantur. Primum est clericos apud se mulieres *retinere* ; alterum eas quoquo modo *frequentare*. Utrumque semper prohibitum est a primis Ecclesiae seculis, sed alterum potius *implicite* in primo contentum, quam expresse prohibitum invenitur (1).

Quod autem spectat ad *cohabitationem* stricte dictam clericorum cum mulieribus, antiquissimus canon, qui eam *expresse* prohibeat, est canon 27 Concilii Illiberitani, dicens: « Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat: extraneam nequaquam habere placuit » (2). Paullo post eamdem regulam firmavit synodus Ancyrana canone 19 (3), in secunda parte, quam GRATIANUS

---

(1) Attamen in memoriam revocare debemus can. 24 Concilii Hipponensis a. 393, quo clerici non coniugati inferiorum ordinum prohibentur visitare virginem aut viduam, ad quas soli pergere non debent : item episcopi et presbyteri, nisi eos comitentur clerici aut laici honestiores. Et nota, hunc canonem probabiliter constitutum esse suasore S. AUGUSTINO, qui paullo ante, a. 392, cum Aurelio Carthaginiensi questus fuerat de abusibus, qui locum habebant in agapis, quae habebantur in sacellis martyrum et in caemeteriis. Cfr. eius *epist.* 22 (M. P. L., XXXIII, 90).

(2) Canon est maxime severus : nam ex attenta lectione canonis et ex HEFELE, *Hist. des Conciles*, « il ne permet aux ecclésiastiques d'avoir chez eux : a) que leurs soeurs ou leurs propres filles ; b) et encore faut-il qu'elles soient vierges et consacrées à Dieu, c'est-à-dire ayant voué à Dieu leur virginité ».

(3) Canonis istius primam partem refert GRATIANUS c. 24 C. XXVII q. 1 his verbis : « Quotquot virginitatem pollicitam praevaricatae sunt, professione contempta, inter bigamos, idest, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt ». In hac autem prohibitione, vel potius sanctione ferenda, ei praeiverat Concilium Illiberitanum c. 13, cum hoc tamen discrimine, quod Ancyranum loquitur de violato voto per legitimum matrimonium, Illiberitanum vero de voto per incontinentiam simplicem violato: «Virgines, quae se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid admiserint (idest non recognoscentes malum quod fecerunt et in eo obstinate perseverantes), placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae omni tempore vitae suae huiusmodi feminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in finem communionem accipere debere ».

in *Decreto* non refert (4). Tandem Concilium Nicaenum canone 3 universalem legem statuit his verbis : « Interdicit per omnia magna Synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam (5) habere mulierem, nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quae suspicionem effugiant » (6). Canon iste Nicaenus refertur a GRATIANO in c.16, dist. XXXII et confirmatur c. 9 *de cohabit. clericor. et mulier.*, X. (III, 2) : « Cum clericis non permittas mulierculas habitare, nisi forte de illis personis exsistant, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari » (7).

2. Hanc prohibitionem simul cum allata exceptione sanxit denuo canon noster dicens :

§ 2. ***Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare, in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari.*** — Personae autem hae, in quibus naturale foedus excludit suspicionem, sunt *consanguinaeae* in primo et secundo

---

(4) Integer canon est : « ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληροῦτωσαν. Τὰς μέντοι συνερχομένας παρθένους τισὶν ὡς ἀδελφὰς ἐκωλύσαμεν ». Ita PITRA, *Iur. eccl. Graec. hist. et monum.*, c. 18 (19).

(5) *Subintroductae* (συνείσακται) eae hic videntur significari mulieres, quae ad domestica officia domi a clericis retinebantur, nam hoc nomine veniunt in decreto Nicaeno, ut ex verbis patet, etiam mater, soror, etc. Attamen si rem ipsam consideremus, mulieres huiusmodi eae erant, quae nulla consanguinitate clericis coniunctae vitam caelibem eligentes clericis adhaerebant, a quibus diligebantur vel diligi dicebantur tamquam sorores a fratribus (cfr. BARBOSA, *Iur. eccl. univ.* lib, I, c. 40, n. 40 ; BALLERINI-PALMIERI, IV, 454). Sed res erat, ut patet, vel plane mala vel periculis plena. Hinc S. HIERONYMUS, quum, ut videtur, sanctissima Concilii Nicaeni (a. 363) lex non ab omnibus fuerit in praxim deducta, severe *agapetarum* consuetudinem vituperat in *epistola 22 ad Eustochium*, n. 14 (M. P. L., XXII, 402 sq.) : « Unde in ecclesias agapetarum pestis introivit ? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum ? imo novum concubinarum genus ? Plus inferam : unde meretrices univirae ? »

(6) Nota etiam ante Concilium Nicaenum I vestigia quaedam haberi huiusmodi prohibitionis. Ea enim lata iam fuerant in can. 27 Concilii Illiberitani (a. 302) ; imo et in epistolis S. CYPRIANI (*epp.* 4. 13. 14 : M. P. L., IV, 230, 260, 261) et in quibusdam *epistolis*, quae dicuntur *S. Clementis*, aliquid simile habetur (Ep. II, c. 1. 3. 10. 14: cfr. FUNK, *Op. PP. Apost.*, vol. 2, pag. 8 sqq. 15. 18. 22. 24). Cfr. WERNZ, II. 205.

(7) SCHMALZGRUEBER, in tit. 2 lib. III Decr. n. 2; BALLERINI-PALMIERI, IV. 454. Nota caput hoc nonum de cohabitatione cler. et mulier. esse INNOCENTII III, qui per illud voluit reducere disciplinam a Concilio Nicaeno inductam, quam concilia quaedam particularia posteriora plus nimio restrinxerant (ex. gr. Conc. Foroiuliense a. 791, Moguntinum a. 888 etc.) prohibentia ne clerici cum *ulla omnino* femina cohabitarent.

gradu: — ***quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi.*** — Imo, secundum veteres canonistas, *affines* quoque in primo (ut noverca) vel etiam in secundo (uxor defuncti patrui), si alter alteri reverentiam debeat. A qua extensione exceptionis non puto recessisse Codicem, tum ex argumento can. 6, n. 3, cum etiam quia canon noster prosequitur: — ***aut a quibus spectata morum honestas cum provectiore aetate coniuncta,*** — quae duo *cumulative* requiruntur, — ***omnem suspicionem amoveat.***

3. Quando autem licet clericis habitare cum aliqua femina ex rationibus adductis, licet etiam ipsis habitare cum earumdem pedissequis et ancillis, ut dicunt communiter canonistae (8). Omnia autem haec intelligenda sunt semper cum hac limitatione, quod non adsit periculum vel scandalum; tunc enim cum omnibus, etiam consanguineis et affinibus cum quibus alias permittitur, cohabitatio est omnino interdicta. Nam in his omnibus suprema lex est, qua traditur: « inhibendum est, ut nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio esse potest, retineat, sed neque illas, quas canones concedunt, matrem, amitam et sororem; quia, instigante diabolo, et in illis scelus perpetratum reperitur aut etiam in pedissequis earum » (9).

Si ergo feminae tales sint, quae suspicionem merito ingerant, clericus, etsi ob virtutem suam vel frigiditatem nihil ex earum societate sit passurus, prohibetur cum eis habitare iure ecclesiastico, imo iure quoque naturali prohibente scandalum, quod generari potest (10). Si vero feminae sint eiusmodi, quae nullam legitimam suspicionem ingerant, non prohibetur clericus cum iis habitare, quemadmodum etiam consuetudine firmatum est. Quare clericus potest etiam feminam in servitium

---

(8) Schmalzgrueber loc. cit. n. 1 sqq; Ballerini-Palmieri, IV. 455,

(9) Quare, ut bene annotat Wernz, loc. cit., ad concordandum hoc caput primum cum capite nono huius tituli in Decretalibus non est recurrendum ad adagium: « Lex posterior derogat priori », sed dicendum caput nonum exhibere regulam generalem, caput primum exceptionem pro eo casu, quo aliqua sit suspicio etiam quod ad eas personas, cum quibus cohabitatio alias permittitur.

(10) Cfr. S. C. Episc. et Reg. in causa *Bambergen. et Herbipol.* 17 aug. 1883 (A. S. S., XVI, pag. 343). Ex eodem capite *legitimae suspicionis* repetenda lex, qua clericis coniugatis prohibetur cohabitare uxori suae, etiamsi cohabitare vellent ut frater et soror.

assumere, quae tamen sit provectae aetatis et honestae famae (11).

4. § 3. ***Iudicium an retinere vel frequentare mulieres... ad ordinarium pertinet.*** — Scilicet episcopo ius est inquirere in observationem horum canonum, et iudicium ferre, an haec vel illa mulier in particulari casu sit suspecta (12), et proinde an liceat clerico cum ea cohabitare. Quare, etsi episcopus non possit generali lege prohibere ne clericum cum quacumque femina habitet (13), potest tamen clericis interdicere omnem cum mulieribus cohabitationem, nisi ipse prius earumdem qualitates examinaverit easque a suspicione immunes recognoverit. Potest itidem statuere aetatem mulieris cum qua clericus cohabitet et mulctare clericum cum muliere iunioris aetatis cohabitantem poenis etiam latae sententiae.

5. § 4. ***Contumaces,*** — idest clerici has leges violantes, et qui ab ordinario iussi mulierem iudicio suo suspectam non dimiserint, — ***praesumuntur,*** — praesumptione *iuris et de iure,* ut patet ex ipsa rei natura, — ***concubinarii,*** — scilicet *iuridice loquendo.* Quod ad modum contra eos procedendi, cfr. cc. 2176-81; quod ad poenas, c. 2359.

---

(11) Ex canone 18 Conc. Nicaeni II et ex aliis similibus legibus in ecclesia orientali prohibentur episcopi cohabitare cum quibuscumque mulieribus. PAPP-SZILÀGYI, *Ench. iuris ecc. orient. cath.*, pag. II § 14; WERNZ, II. 206.

(12) Hinc narrat BARBOSA, loc. cit., n. 39, S. C. Episc. et Reg. presbytero Iacobo, aetatis sexaginta annorum, SSmo. conquerenti, quod episcopus Senogalliensis sibi iniunxisset domo removere famulam aetatis quadraginta annorum et roganti, ut super hac re non permitteretur inquietari ab episcopo, respondisse die 15 febr. 1619, eum episcopo parere debere; imo idem respondisse eamdem S. Congr. die 7 iun. eiusdem anni contra presbyterum Ioannem Bapt. Ribellum annorum sexaginta quatuor eiusque famulam annorum sexaginta sex.

(13) WERNZ, loc. cit., II, 206.

CANON 134.

Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda.

1. Ad obtinendum finem, de quo in superioribus canonibus 132 et 133 actum est, maxime conducit vita inter clericos communiter acta, quae, etsi non imponatur, laudanda tamen dicitur et suadenda.

Episcopi Neapolitani Concilio Vaticano postulatum porrexerunt, in quo haec scripserant: « Praescribat ut parochi eodem sub tecto convivant in domo parochiali una cum suis adiutoribus, a familia segregati; et episcopis etiam atque etiam commendet ut quam citissime praescriptum exsequantur; interim vero, ubi peropportuna parochialis domus omnino deest, usque dum instauratur, laxantur spatia aut aedificatur, altera prope paroeciam suppleatur » (1). Nonnulla recentiora concilia provincialia hanc communem vitam, « quae habetur ubi parochus cum cooperatoribus aliisve sacerdotibus, magistri seminarii, presbyteri stipendia emeriti, etc., simul, sed nullo iuridico vinculo constricti degunt » (2), pluribus laudarunt et etiam obligatione induxerunt. Inter haec habemus Concilium provinciale Burdigalense a. 1859, quod invectam iam obligationem quod ad parochos et vicarios lege sua confirmavit (3); Concilium provinciale Senonense a. 1850, quod non obligationem imponit, sed desiderium aperit, « ut parochi simul et vicarii, si qui sint, in eadem domo habitantes, ad eamdem mensam sedentes, una vivant, quo melius et efficacius tum regulari observantiae, tum morum integritati consulatur » (4); Concilium provinciale Aquense a. 1850 non secus ac Senonense idipsum inculcans, sed non praecipiens (5); Concilium provinciale Tolo-

---

(1) Ipsum textum postulati, videsis in *Acta et decreta SS. Concil. recentiorum Collect. Lacensis*, vol. VII, c. 794.
(2) CHELODI, *Ius de personis*, n. 118.
(3) *Collect. Lacensis*, loc. cit., c. 758.
(4) *Collect. Lacensis*, loc. cit., c. 898.
(5) *Collect. Lacensis*, loc. cit., c. 984.

sanum eiusdem anni (6) ; Concilium provinciale Auxitanum a. 1851, semper in sensu exhortantis, non praecipientis, et semper restrictive ad parochos et vicarios (7).

2. Vita haec communis, quam concilia ista inculcant, iam a seculo IV, auctore S. Eusebio Vercellensi, quem secutus est pro Africa fere quinquaginta post annos S. Augustinus, etiam in palatio Lateranensi hic Romae, sub Gregorio Magno, servata aliquando est. Quare, non multo post aevum persecutionum et reddita Ecclesiae pace a Constantino, huic communi vitae clericorum, praesertim pro eorum institutione in seminariis, initium factum est. Seculo VIII CHRODEGANGUS episc. Metensis (8) regulam quamdam ad eam ordinandam composuit, et tunc apud plures ecclesias per breve tempus invaluit (9).

Posteriora tentamina non pauca facta adhuc sunt; sed praescindendo a restricta vita illa communi, quam ducerent parochi cum suis vicariis aut professores in seminariis, non magnum exitum habuerunt, et communitates istae valde cito aut religiosae factae sunt aut religiosis accesserunt, ut bene notat CHELODI (10).

3. Recenter episcopus Montisvideensis expostulavit a S. C. EE. et RR. ut sibi liceret clericos ordinandos, quos promovisset titulo non quidem patrimonii, sed servitii ecclesiae,

---

(6) Pariter in sensum adhortantis, non praecipientis: « Summopere optandum foret ut, veluti pater cum filiis, simul parochi et vicarii habitarent unius moris in domo una. Quae communis vitae ratio, vel a primaevis Ecclesiae seculis a Patribus laudata et usitata ac etiamnum in multis Galliarum dioecesibus religiose servata, non pauca gignit commoda tam ipsis parochis et vicariis, quam fidelium gregi, cui illi praeficiuntur: pleraque etiam damna et pericula sive spiritualia sive temporalia longius propulsat » (*Collect. Lacensis*, loc. cit., c. 1046).

(7) *Collect. Lacensis*, loc. cit., c. 1179.

(8) Textum istius regulae, exceptis tamen 24 capitibus, vide apud GALANTE, *Fontes iur. can. selecti*, n. 242. Regula haec imitatur regulam benedictinam, eamque postea AMALARIUS diaconus, discipulus CHRODEGANGI, in pluribus emendavit. Conventus imperialis Aquisgranensis (« Dieta d'Aix la Chapelle ») imposuit ecclesiis omnibus, in quibus plures essent clerici, regulam hanc ab AMALARIO correctam a. 816 sub Ludovico Pio. Cfr. PERTZ, *Monum. Germaniae*, III, pp. 206, 219.

(9) Cfr. quae late circa hoc prosequitur THOMASSINUS, *Vetus et novo Eccl. disciplina*, I, 3, 1 sqq., per multa capita.

(10) Loc. cit.

obligare ad nomen dandum instituto Ven. Holzhauser, quod, primum ab Innocentio XI (11) approbatum et a Pio IX (12) atque Leone XIII (13) laudibus cumulatum, id sibi proprium habet, ut iubeat sacerdotes, simul saltem ternos cohabitantes, vitam fovere communem, nullo voti vinculo ligatos, sed iureiurando tantum in instituto usque ad mortem se mansuros. S. Congr. Concilii, ad quam petitionem episcopi transmiserat S. C. EE. et RR. causam per summaria precum dimisit hac responsione: « Ad propositam vitam communem clericos posse allici, sed non obligari » (14). Et iure: disciplina enim praesens clericorum in multis immutata est, et id practice importaret periculum, ne multi a clericali statu abalienarentur.

Codex proinde merito contentus fuit, ut consuetudinem hanc vitae communis laudaret et clericis suaderet, eamque servandam diceret ubi viget, *quantum* tamen *fieri potest:* ex quo patet, ne in iis quidem locis, ubi viget, et intra limites quibus viget, servandam prorsus esse, sed dari etiam locum iustae excusationi.

CANON 135 (1).

Clerici, in maioribus ordinibus constituti, exceptis iis de quibus in can. 213, 214, *tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros.*

Sandoval B., Tratado del oficio eclesiástico canónico, Toledo, 1568. — Michael Timotheus Ariminensis, De divino officio, Venetiis, 1581. — Durantus I. S., De ecclesiae catholicae ritibus, Romae, 1591. — De Herrera A., Origen y progreso del oficio divin

(11) Cfr. Const. Innocentii XI, « Creditae nobis » 7 iun. 1680.
(12) Cfr. Breve 17 maii 1875 *ad superiorem associationis Namurcensis.*
(13) Cfr. Breve 31 maii 1880 *ad praesidem Unionis apostolicae* in Gallia.
(14) S. Congr. Conc. 25 ian. 1895 (*Monitore ecclesiastico*, IX, 1. 1895, pag. 3).

(1) In praesente canone agitur de *positiva* obligatione, qua clerici tenentur, recitandi horas canonicas, quae non bene hic a Codice intermiscetur *negativis* obligationibus, de quibus actum est in tribus canonibus superioribus 132, 133, 134 et agetur postea.

y de sus observancias católicas desde el siglo primero de la iglesia al presente, Sevilla, 1644. — Bonartius O., De horis canonicis et de sacrosancto missae sacrificio, Antuerpiae, 1653. — Bona Card. I., De divina psalmodia eiusque causis, mysteriis et disciplinis deque variis ritibus omnium ecclesiarum in psallendis divinis officiis tractatus historicus, symbolicus, asceticus, Parisiis, 1663. — Thomassin L., Traité de l'office divin, Paris, 1686. — Martène E., De antiquis ecclesiae ritibus, Venetiis, 1783. — Grancolas J., Commentarius historicus in romanum breviarium, Venetiis, 1736. — Macchietta F., Commentarius historico-theologicus de officio divino, Venetiis, 1739. — Amort E., Vetus disciplina canonicorum regularium et saecularium, Venetiis, 1748. — Pianacci G. P., Dell'officio divino trattato istorico-critico-morale, Roma, 1770. — Zaccaria F. A., Bibliotheca ritualis, Romae, 1776-1781. — Geiger A., Ueber das Brevier, Altdorf, 1830. — Newman, , On the Roman Breviary, London, 1836. — Probst F., Brevier und Breviergebet, Tübingen, 1854. — De Roskovàny A., Coelibatus et breviarium, duo gravissima clericorum officia e monumentis omnium seculorum demonstrata, Pestini, 1861-1881. — Schu M., De horis canonicis diatriba, Treviris, 1864. — Dom Guéranger P., Institutions liturgiques, Paris, 1885. — Pleithner F. X., Aelteste Geschichte des Breviergebetes, Kempten, 1887. — Batiffol P., Histoire du Bréviaire romain, Paris, 1911. — Baeumer S., Geschichte des Breviers, Freiburg, 1895. — Dom Plaine, De veris breviarii romani originibus et prima eius forma, in *Studien u. Mitteilungen aus dem Benedictiner und dem Cistercienserorden*, 1895. — Melata B. De recitatione mentali divini officii, Romae, 1911.

1. « Antiquam Ecclesiae disciplinam in divinis celebrandis officiis... apostolis ipsis referendam minime dubitandum videtur: nam, quum ea christianis omnibus, atque in primis clericis, Deum precandi incumbat necessitas, ut iugis et non intermissa eorum esse debeat oratio: atque aliunde inter fluctuantis ac miserae huius vitae curas non raro distrahi, atque a Deo vel invitum animum avelli contingat: ii, ut solvendo nostrae servitutis penso pares esse possemus, salubri omnino institutione procurarunt, ut certis saltem statis horis quotidie debitas caelesti numini laudes persolvamus. Quibus suo tempore celebratis, Deum semper orare et ab oratione minime deficere censeamur. Hinc S. Eligius Novomiensis episc., hom. 2: Cui, inquit, dicendum est, oportet semper orare et non deficere, nisi ei, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum ecclesiasticae traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit ? Nec aliud sane volebat psalmista,

quum diceret: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, quum tamen alibi nonnisi septies in die laudem Deo dixisse glorietur ». Ita MARTÈNE incipit suum *Tractatum de antiqua ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis* (2).

Haec oratio est oratio communitatis christianae, quae non privato modo, etsi non semper publice, Deo in Ecclesia offertur.

---

(2) Attamen probe notandum est, haec quidem verissima esse, si intelligantur de more introducto apud fideles statis quibusdam horis Deum laudandi; sed non eodem modo vera dici posse, si quaestio sit de persolvendis divinis laudibus omnibus illis horis, et multo magis ea methodo, quibus nunc id facimus. Certe tempore apostolorum videtur bis christianis in die conveniendum fuisse ad orandum, praeter tempus liturgiae et sacrificii, idest ad *laudes* (quas prius *matutinas preces* dixerunt, quia celebrabantur mane statim ab aurora) et ad *vesperas*: consistebant autem recitatione psalmorum, lectione sacrarum scripturarum, praedicatione verbi Dei (*Act. Ap.*, XX, 7), precibus sub inspiratione Spiritus Sancti compositis a membris communitatis. Seculo II, quando difficile fuisset hos conventus regulariter facere mane et vespere, teste ipsa Διδαχῇ, c. VIII, praescriptum fuit, ut fideles orarent non sicut hypocritae (pharisaei), sed sicut praecepit Dominus in evangelio suo, idest recitatione orationis dominicae (Διδαχή eam transscribit ex evangelio MATTHAEI, VI, 9-13, inducta mutatione verbi *supersubstantialem* in *quotidianum*, secundum dictionem LUCAE, XI, 3, quae pro utroque textu MATTHAEI et LUCAE in *antiqua itala* inveniebatur; at HIERONYMUS, quum « iussu Damasi Novum Testamentum graecae fidei reddidit », verbum τόν ἐπιούσιον in *supersubstantialem* vertit incongrue apud MATTHAEUM, relicto *quotidianum* apud LUCAM [HIERONYMUS ad Matth., lib. I, c. 6]) et addita doxologia, idque ter facerent in die (« ter in die sic orate »), secundum antiquum propositum psalmistae (« vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo et exaudiet vocem meam », *Ps.* LIV, 18), quod non infirmat illud psalmi CXVIII, 164: « Septies in die laudem dixi tibi », ubi illud *septies*, ut saepe in Scripturis, indefinite sumitur (cfr. ad ex. *Prov.*, XXIV, 16), et confirmat etiam usus Hebraeorum. Haec ter repetita oratio, quae nullum habuit characterem publicum, obligationem tamen importabat, ut videtur, pro singulis. His horis orationis postea aliae additae sunt, *tertia*, *sexta*, *nona* (cfr. TERTULLIANUM, *De oratione*, c. 25: M. P. L., I, 1192), ex quibus conflatus est numerus ille sexenarius, cuius meminit auctor *Constitutionum apostolicarum*, VII, 34: « Precationes facite mane et tertia hora ac sexta et nona et vespere atque in gallicinio », et qui respicit publicam liturgiam (cfr. FUNCK, in c. 35, loc. cit., *Constitutionum*). Nam quae prius pro fidelibus seculi III res erat consilii, « etsi simpliciter se habeant (tertia, sexta, nona) sine ullius observationis praecepto » (TERTULLIANUS, loc. cit.), pro ascetis et virginibus (*monazontes*, *parthenae*) seculi IV facta est obligatio. « L'œuvre liturgique du IV siècle est accomplie. Elle a consisté à organiser la quotidienneté d'un double service psalmodique: d'une part, le cours (*cursus*) nocturne, comprenant les vêpres, l'office nocturne au chant du coq, enfin les laudes matinales; d'autre part le cours diurne, comprenant les trois psalmodies de tierce, de sexte et de none », ait BATIFFOL (*Histoire du bréviaire romain*, Paris, 1911, p. 35), qui statim addit, a regno Theodosii, quando ascetae et virgines secesserunt in desertum, et exsurrexit coenobitismus alius a societate catholica seculari, duplex etiam habitus est ordo divini officii canendi, clericorum scilicet

Quare merito SUAREZ (3): « Hinc ulterius factum est (quod est aliud huius communis orationis signum), ut eiusdem ecclesiae auctoritate institutae sint peculiares deprecationes, quae nomine illius offeruntur. Sicut enim princeps legatum mittens ad alium principem, solet certam ac praescriptam formam petitionis vel pacti aut legationis illi tradere, saltem quoad substantiam eius, licet interdum aliqua accidentalia illi committat...; ita ecclesia universalis, quia per suos publicos ministros suo et communi nomine orare intendit, ideo certam orandi formam illis praebuit, ut omnia purius et sincerius fiant... Haec ergo institutio aperte indicat communitatem orationis ecclesiasticae, quam docemus; et similiter ostendit orationes communes ecclesiae illas propriissime esse, quae in recitandis horis canonicis per ministros ecclesiae funduntur, ut notavit divus Thomas Quodl. 7°. a. 18 ».

Ministri autem hi, quos Ecclesia constituit ad fundendas suo nomine preces, sunt clerici omnes in sacris constituti (4), beneficiati (5), religiosi sollemniter professi et ad chorum destinati (6), qui omnes ad horas recitandas obligantur etiamsi suspensi fuerint, excommunicati vel dimissi a religione (7), ne scilicet videantur de sua malitia commodum reportare (8).

2. Canon noster praesens agit de hac obligatione clericorum, in quantum clerici sunt, idest vi ordinationis suae, ut dicit SUAREZ (9). De obligatione clericorum in quantum sunt

---

et monachorum. Quaenam fuerint sequentes mutationes, non est hic locus recensendi. Cfr. BATIFFOL, op. cit.; BAUDOT, *Le Bréviaire romain*, Paris, 1908; BAEUMER, *Histoire du bréviaire* (trad. par D. Biron), Paris, 1905.

(3) *Tract. IV de oratione*, etc., lib. 4, c. 1, n. 12.

(4) c. 19 de celebr. miss., etc., X. (III. 41); Const. BENEDICTI XIV, « Eo quamvis » 4 maii 1745; BENEDICTUS XIV, *Instit. eccles.*, 24; LESSIUS, *De iust. et iure*, II, 37, 44; LAYMANN, *Theol. mor.*, II, 1. 4. 4. Attamen nota non omnino certum esse secundum SUAREZ, *De oratione etc.*, IV, 29, 12, horas, « quum recitantur privatim, dici nomine ecclesiae ».

(5) Constit. LEONIS X, « Supernae dispositionis » in Conc. Lateran. V, § 38; Constit. PII V, « Ex proximo », 20 sept. 1571.

(6) SCHMALZGRUEBER, *in tit.* 41, *lib. III Decr.*, n. 78; S. ALPHONSUS, IV, 142; BALLERINI-PALMIERI, IV, 333. Cfr. c. 1, tit. cit., X. (III. 41).

(7) SANCHEZ, *Cons. mor.*, VII, 2,4; BALLERINI-PALMIERI, IV, 330, 338

(8) c. 7 de iudic., X. (II. 1).

(9) Loc. cit., c. 16.

beneficiati, agitur ad can. 1475, de obligatione religiosorum ad can. 610.

Porro de hac obligatione, quae sub gravi obligat, nec tamen est iuris divini (10), sive quod ad temporis et modi determinationem, sive quod ad ipsam rei substantiam, neque originaliter ex lege ecclesiastica, quum nulla talis lex suppetat eam introducens (11), asserunt generatim doctores, eam ex consuetudine originem habuisse.

3. ***Clerici....*** — sine ulla distinctione nationis et ritus (12), vi praecise ordinationis, — ***tenentur obligatione.... horas canonicas.... recitandi.***

in maioribus constituti, – non igitur clerici minores, qui, argumento a fortiori ac dictum est de clericis in sacris, non tenentur iure divino, neque iure ecclesiastico scripto, quia ordinatio clericorum maiorum magis sacra est; hi autem non tenentur his iuribus, sed tantum originaliter ex consuetudine. Quare etiam pro clericis minoribus consuetudo invocanda esset; sed pro his talis consuetudo non exsistit, imo exsistit contraria, omnibus in praesenti consentientibus (13), qui eos eximunt

---

(10) Nisi velis dicere, eam fundari iure divino eo sensu, quod scilicet maxime decet statum clericorum, ratione cuius specialiter deputati sunt ad cultum divinum.

(11) « Omnia documenta, quae supersunt, praedictam obligationem iam vigentem supponunt, et non diriguntur nisi ad eius adimpletionem urgendam », ait Bouquillon, *De virtute religionis*, n. 231. Cfr. Roskovàny, *Caelibatus et Breviarium*, tom. 5 et 8.

(12) Benedictus XIV, in Constit. « Eo quamvis » 4 maii 1745, loquens de diaconis cophtis in infantili aetate ordinatis, qui postea, expleto anno aetatis decimo sexto, suam ordinationem ratam habuerunt, et quaerens num horas recitandi onere tenerentur, sententiam recepit P. Thomae a Iesu in opere *De conversione Gentium*, eamque Cophtis applicat, secundum quam « tenerentur omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas et a viris doctis recognitas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio ».

(13) *In praesenti* dixerim; nam ex antiquis, Panormitanus ex. gr., fuerunt qui dicerent, clericos minores ratione status teneri ad horas canonicas recitandas non secus ac clerici maiores, quia etiam per ordines minores assumitur quis in sortem Domini et transfert se in Deum et Ecclesiam, secundum doctrinam cc. 5 et 6, C. XII, q. 1, secundum quam, etsi prius dixerit, clericos hos minores horas non recitantes consuetudine excusari, addit tamen in cap. 1, tit. 1 *de celebr. miss.* n. 6: « de consuetudine; sed de mente iuris divini et humani credo quod sit oppositum », et affert rationem supra dictam. Sed merito advertit Suarez, loc. cit., n. 11: « In quo certe (Panormitanus) non sibi constat;

non solum ab obligatione recitandi horas canonicas, sed etiam alias statas preces quascumque, ut ex. gr. officium B. Virginis aut psalmos poenitentiales, etc. (14).

exceptis iis, de quibus in can. 213, 214; – exceptis scilicet iis, qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt (can. 213, § 1), et exceptis illis, qui gravi metu coacti ordinem sacrum susceperint, nec postea eamdem ordinationem ratam, saltem tacite per ordinis exercitium, habuerunt (c. 214). De his autem omnibus postea suo loco.

4. *quotidie*, – idest ab ipsa die ordinationis inclusive, non quidem integre et absolute sumpta, scilicet a nocturno officio incipiendo, sed ab illis horis canonicis, quae respondeant tempori, quo ordinatio habita est, et proinde obligatio suscepta.

integre; – hinc parvam horam vel aequivalens omittere communiter habetur pro materia gravi (15). Probabiliter iudicans, se aliquid recitasse, etiamsi non sit certus, non tenetur iterum recitare (16). Hinc, si recorderis te incepisse psalmum, lectionem vel horam, et postea, non data opera distractus vel non interruptus, te invenias in fine horae legendo vel recitando memoriter ea, in quibus ordinarie non soles errare, non debes recitare iterum (17).

---

nam si consuetudo est contra ius divinum, quomodo excusat ? Praesertim quia oportet tale ius naturale esse. Praeterea haec consuetudo neque contra ius humanum esse potest. Aut enim hoc ius est scriptum, et hoc non, quia nullibi invenitur; aut est ius introductum consuetudine, et ita est repugnantia, si intelligantur consuetudines esse simul. Si autem supponatur consuetudinem aliam aliquando fuisse, nunc vero esse per contrariam consuetudinem ablatam, id certo parum ad causam refert, et illud de antiquiori consuetudine sine fundamento et probatione asseritur ».

(14) Imo SUAREZ, loc. cit., n. 15, contra NAVARRUM putat, et merito, non posse episcopum tales clericos ordinare cum conditione acceptandi obligationem recitandi illas preces: « Mihi tamen non videtur iusta conditio, neque posse episcopum sua auctoritate adiungere hoc perpetuum onus suae ordinationi, sed hoc pertinere ad Pontificem, quia est nimis gravis conditio; secus vero esset, si tantum praeciperet ter vel quater haec recitare, vel aliquid simile, quod moderatum sit et ab illa actione non alienum ».

(15) SUAREZ, *De horis canon.*, IV, 25, n. 25; FERRARIS, *Prompta biblioth.*, v. « Officium divinum », art. 3, n. 6; BALLERINI-PALMIERI, IV, 357.

(16) S. ALPHONSUS, IV, 150.

(17) S. ALPHONSUS, loc. cit.

5. ***secundum proprios et probatos liturgicos libros.*** – Licet officium divinum quod ad substantiam idem semper fuerit apud omnes gentes christianas, varias tamen subiit modificationes. Suprema autem auctoritas spiritualis, cuius est orationis publicae formam praescribere, simulque sinceritati eius et puritati consulere, iteratis vicibus officium reformavit et numquam non allaboravit ad unitatem perfectam etiam in accidentalibus obtinendam: et iure quidem: sicut enim una et eadem est per totum orbem Ecclesia, quae per suos ministros orat, ita convenit ut per omnes illos ministros una et eadem vox sonet. Pulchre INNOCENTIUS III *ad episcopos Franciae:* « Orientalis Ecclesiae in divinis laudibus ab Occidentali non distonet; sed sicut est unus Deus et fides una, ita uno ore ipsum laudet et glorificet oriens et occasus ». Cfr. SUAREZ *De religione,* tr. 4, lib, 4, c, 2, nn. 11-13.

Liber autem proprius et liturgicus pro clericis *ritus latini romani* (18) in hunc finem nunc est: *Breviarium Romanum ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pont. Maximi iussu editum, aliorumque Pontificum cura recognitum, Pii Papae X auctoritate reformatum,* quod in Bulla « Divino afflatu » kal. nov. 1911 omnibus quicumque horas canonicas secundum breviarium romanum debent quotidie persolvere, impositum est, abolito psalterii prius usitato ordine et eius usu interdicto inde a kalendis ianuariis anni 1913 (19). Hoc *unice* breviario utentes possunt suae obligationi satisfacere. Id autem valet de psalmis recitandis idest de ordine psalmorum retinendo et servando; quamvis, retenta divisione Piana, vigeant adhuc ea, quae doctores antiquo iure docebant.

6. Scilicet *ordo* praescriptus, tum officiorum, cum horarum servandus est, non vero sub gravi (20); et si quid in recitatione

---

(18) Circa varios ritus latinos confer dicta ad can. 98 (OJETTI B., *Comm. in Cod. I. C.*, II, p. 94 sqq.).

(19) Nota, PIUM V, Constit. « Quod a nobis », 9 iul. 1568, alia omnia breviaria, praeter breviarium a se correctum, quae nondum a ducentis annis legitima consuetudine introducta essent, abolevisse. PIUS X nullam exceptionem fecit, addiditque expresse: « Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant ».

(20) D'ANNIBALE, III, 150.

omissum fuerit ex aliqua causa, ut si quis non habeat lectiones matutini, vel hic et nunc eas legere nequeat, potest postea suppleri (21). Ordinis horarum inversio in recitatione privata ex qualibet causa rationabili caret omni culpa, in publica controvertitur (22). Notandum tamen est, quod si quis partes officii adeo perturbaret, ut vix species divini officii superesset, is non videretur satisfacere (23).

7. Et haec quidem quod ad breviarium seu ad ordinem psalmorum adhibendum attinet. De iis vero quae ad *singularia officia* recitanda spectant, multa disserunt liturgistae (24).

---

(21) Croix, *Theol. mor.*, IV, 1309; Bonacina, *De horis can. disput.*, I, q. 3, IV, n. 7 et 9. Hinc qui aliud officium pro officio diei recitat, satisfacit, et si ex errore, nullum, si scienter et sine iusta aliqua causa, veniale peccatum admittit (Ballerini-Palmieri, IV, 383; D'Annibale, III, 148). Quum vero rationabilis quaedam causa habeatur, ut si velis cum socio recitare aliud officium habente, etc., licita omnino est mutatio (Ballerini-Palmieri, IV, 390). Quum vero ex errore vel ex causa, alterius officii partem quis recitaverit, errore deprehenso vel causa cessante, quia ex. gr. non habet amplius illum socium quocum recitavit partem, poterit vel idem officium absolvere, vel quod ad reliqua proprium officium recitare (Ballerini-Palmieri, IV, 383, 391). Si vero notabiliter minus officium quis recitaverit, videtur plerisque teneri ad aliquid aliud addendum (Laymann, *Theol. mor.*, IV, tr. 1, c. 5, n. 5; Suarez, loc. cit., IV, 25, n. 15). His, quae certissima sunt apud auctores, non contradicit decretum S. Congr. Rituum in *Marianopolitan.* 27 ian. 1899, ad 3 (4011), ubi ad quaesitum: « An satisfaciat obligationi suae clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte, vel invitatus se adiungit clero officium ab officio ipsius clerici diversum canenti vel recitanti », respondit: « generatim negative »; tum quia non est usus, ut sancta Sedes contradicat constanti et universali doctrinae auctorum per responsionem alicuius secretariae Congregationum Romanarum nihil de hoc ipso monendo, cum quia decretum, prout nunc iacet (nam prius responsum fuerat: « negative, secluso privilegio », quae immutatio facta est praecise in hunc finem, ut cum communi doctrina componeretur), respicit casus, in quibus reapse secundum omnes non satisfieret, ut ex. gr. si quis obligatus ad breviarium romanum recitaret officium cum socio, qui alio utitur breviario.

(22) S. Alphonsus, IV, 170, 171. Cfr. Sanchez, *Cons. mor.*, VII, c. 2, d. 42, n. 4; Ballerini-Palmieri, IV, 404.

(23) Suarez, *De hor. canon.*, IV, c. 11, n. 7.

(24) Ea hic in summam redacta habe. Quod spectat ad singularia officia, unusquisque sequi debet calendarium propriae diœcesis, eius nempe in qua domicilium habet vel in qua possidet beneficium residentiale (De Herdt, *Sacr. liturg. praxis*, II, 209, 228). Quamvis autem beneficiati teneantur semper ad officium propriae ecclesiae, simplices sacerdotes conformari possunt officio loci, ubi morantur (etiam ut peregrini); sed vagis (idest peregrinis) consultius est, ut dioecesis propriae calendario utantur (S. R. C. in una *Marsorum*, 13 nov. 1831, ad 46 [2682]). Parochus vel vice parochus tenetur recitare particularia officia suae paroeciae, ut esset officium de titulari eiusdem ecclesiae, etc. (S. R. C. in *Mechlinien*, 7 dec. 1844, ad 1, q. 1 [2872]). Sacerdotes alii, qui in aliqua

8. Principia autem quae regunt pro singulis *obligationem recitandi* breviarium, haec sunt:

---

ecclesia confessiones excipiunt vel aliud quodcumque ministerium exercent, quum ascripti stricte servitio illius ecclesiae non sint, ut parochus et viceparochus, ea officia recitare nequeunt (S. R. C. decreto nup. cit.). Magistri et alumni in seminario degentes tenentur ad officium ecclesiae seminario adiectae, quamvis alibi missam celebrent (S. R. C. in *Andrien.*, 7 sept. 1850, ad 1 et 2 [2980]). Hinc consequenter Fratribus Scholarum Christianarum petentibus, an eorum cappellani fixi aut sacerdotes vicem cappellanorum gerentes tenerentur ad recitationem officii proprii eisdem Fratribus concessi in festo et per octavam s. Ioannis Bapt. de la Salle, S. R. C. 23 ian. 1903 respondit, nec primos nec alteros cappellanos teneri. Monialium cappellani et confessarii non possunt earum officium recitare (S. R. C. in *Conimbricen.*, 21 mart. 1795, ad 3 [2550]). Regulares vero, qui ad chorum tenentur, sequi debent officium illius domus, in qua morantur, etiam transeunter et ad breve tempus (S. R. C. in una *Ord. Capuccin.*, 31 aug. 1839 ad 1 [2801]); alii, qui nempe non tenentur ad chorum, debent sequi calendarium domus ex qua discesserunt (S. R. C. in una *Soc. Iesu* 18 sept. 1877 ad 2 [3436]; in una *Ord. Capuccin.*, 27 iun. 1896 ad 13 [3919]). Episcopus regularis debet recitare officium suae dioecesis, non vero sui ordinis (S. Rit. Congr. 11 iun. 1605 ad 1 [181]). Episcopus duarum ecclesiarum cathedralium uti potest calendario alterutrius ad libitum (S. R. C. in *Valven. et Sulmonen.* 17 ian. 1880 [3508]). — Iuverit hic addere quaesita episcopi Neoportensis in Anglia, et responsiones S. Congr. Rituum. Sunt autem sequentia: « 1. An apud Anglos in ecclesiis cleri secularis calendarium dioecesanum a laudata S. Rit. Congr. approbatum, et singulis annis iussu ordinarii editum additis festis Ss. Titularium, Dedicationis, atque aliis (si qua fuerint) a sancta Sede concessis, censeatur calendarium uniuscuiusque ecclesiae, cui proinde quivis celebrans in sacro faciendo, atque sacerdotes ecclesiae etiam in officio divino recitando, se conformare debeant? — 2. An liceat regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius ecclesiae secularium, sacras functiones iuxta ordinem calendarii propriae religiosae congregationis peragere, relicto calendario dioecesano cui populus iam assuetus fuerit? — 3. An regularis, ecclesiae seculari aliquando ad tempus, sive ad beneplacitum episcopi (superiore religioso assentiente) praepositus, atque privatim recitans horas canonicas, adhibito iuxta decreta a S. R. C. calendario proprii ordinis, teneatur nihilominus ad officium S. Titularis ecclesiae secularis praedictae, et quidem sub ritu duplicis primae classis cum octava? — 4. Item, an, commissa absque tempore praefinito administratione ecclesiae regularis sacerdoti seculari, huic liceat, amoto calendario regularium, quo hactenus usus fuerat clerus illius ecclesiae, ordinare missas et officia publica iuxta calendarium dioecesanum? — 5. Quid decernendum de calendario illorum districtuum (sive sint de iure cleri secularis, sive de iure cleri regularis), ubi, ecclesia nondum aedificata, populus ad sacra adunetur in aedificiis, nonnisi transitorie ad cultum destinatis? — 6. Quum saepenumero eveniat, vi privilegii a sancta Sede concessi, canonicos ecclesiae cathedralis praepositos esse, cum cura animarum et onere residentiae, in ecclesiis dissitis, nec a cathedrali dependentibus, utrum a canonico rectore huiusmodi officium divinum sit persolvendum iuxta calendarium cathedralis, vel potius iuxta calendarium ecclesiae, cui hac ratione et stabili modo sive etiam vita perdurante, ipse fuerit ascriptus? — 7. An sacerdotes assistentes, sive vicarii, teneantur in recitatione privata divini officii se conformare calendario ecclesiae,

1° Obligatio officii est obligatio affixa diei (25). Quare qui a media nocte ad mediam noctem integre horas recitat, semper excusatur a peccato gravi, quocumque tempore id faciat (26). Matutinum et laudes recitari etiam pridie possunt sub vesperas (27). Satisfacit vero recitans quocumque anni tempore hora secunda a meridie (28); quod confirmari videtur ex decreto S. Rit. Congr. 12 maii 1905, quo ad huiusmodi dubium responsum est: « Consulantur probati auctores ». Porro S. Congregatio optime sciebat non paucos ex probatis auctoribus hoc docere (29). Hoc tamen anticipandi privilegio numquam quis uti tenetur (30). In *choro* autem, sine speciali indulto, hora secunda a meridie recitatio matutini diei sequentis fieri nequit (31).

2° Pronuntiatio in recitatione debet esse vocalis, integra, continuata; sed non est necesse, ut recitans se audiat (32).

---

cui sunt addicti ? — 8. An liberum sit canonico rectori, quamdiu hoc munere fungitur, statuere pro arbitrio calendarium cathedralis pro calendario ecclesiae et districtus missionarii, sive quasi paroeciae, cui ut supra praeest, ne scilicet missa ab officio discrepet ? — 9. Utrum officium vesperarum, dominicis festisque diebus publice decantari solitum, ordinandum sit iuxta calendarium ecclesiae, in qua persolvitur, an potius concordandum cum officio privatim recitando a rectore ecclesiae, partes, ut plurimum, hebdomadarii agente ? — Et Sacra Congregatio respondit: — Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Negative. — Ad 3. Negative. — Ad 4. Affirmative. — Ad 5. Calendarium dioecesanum adhibendum. — Ad 6. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. — Ad 7. Affirmative. — Ad 8. Negative. — Ad 9. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». *S. Rituum Congregatio* 4 *febr.* 1898 (3979).

(25) Gury-Ballerini, I, 1000.

(26) Lehmkuhl, II, 621. Per se tamen matutinum et laudes ante missam (Lehmkuhl, II, 628), vesperae, exceptis diebus ieiunii in quadragesima, et completorium a meridie (D'Annibale, III, 150) recitari debent. Attamen obligatio haec sub levi est, et ne sub levi quidem si vel immutatio temporis parva est aut aliqua utilis vel honesta causa subsit, ut esset maior devotio, quies, studium, etc. ; hoc autem valet etiam pro recitatione in choro (S. Alphonsus, IV, 171, 173 ; D'Annibale, III, 150). Ab obligatione quoque recitandi matutinum et laudes ante missam quaelibet mediocris causa rationabilis excusat (Suarez, *De euchar.*, d. 72, s. 1; Benedictus XIV, *De sacr. missae*, l. III, c. 13, n. 4 ; id. Constit. « Etsi pastoralis » 6 maii 1742 ; S. Alphonsus, VI, 347 ; Ballerini-Palmieri, IV, 405).

(27) Ballerini-Palmieri, IV, 407; D'Annibale, III, 150; Lehmkuhl, II, 625.

(28) Salmanticenses, *Theol. mor.*, tr. XVI, c. 3, n. 15 ; Ballerini-Palmieri, IV, 408 sqq. ; D'Annibale, III, 150 (32) ; Bucceroni, II, 153 ; *Monitore ecclesiastico*, XII, pag. 233.

(29) Cfr. *Monitore ecclesiastico*, XVII, pag. 275 sqq.

(30) Gury-Ballerini, I, 1071.

(31) S. Rit. Congr. decr. cit. 12 maii 1905 ad 2.

(32) Gury-Ballerini, I, 1031 ; Ballerini-Palmieri, IV, 394.

3° Quaelibet causa rationabilis sufficit ad horam interrumpendam (33).

4° Recitari possunt horae cum quocumque socio, etiam distracto; sed modo praescripto, idest alternis (non ternis, si tres sint recitantes) vicibus (34).

5. Post matutinum, si separatur a laudibus, dicenda est oratio diei et postea *Dominus vobiscum* etc., *Fidelium animae* etc. (35).

6° Recitandae praeterea sunt horae *attente et devote;* probabilius sufficit *attentio externa* (36).

7° Recitandae insuper sunt, ad satisfaciendum obligationi, *lingua latina*. Quare sacerdos, qui nocte Nativitatis Domini officium eiusdem diei ex breviario romano, aut die commemorationis omnium defunctorum eorum officium cum populo vernacula lingua recitasset, teneretur adhuc sub gravi idem officium recitare; item dicas de litaniis sanctorum diebus rogationum (37).

8° Recitari autem possunt horae *quocumque in loco* et *quocumque situ*, ut quis satisfaciat. Rubricae vero, quae stare, genuflectere, etc., iubent, ad chorum pertinent (38).

---

(33) Croix, *Theol. mor.*, l. IV, n. 1306 ; Salmanticenses ; loc. cit. n. 3. Quare ex levi quadam causa posset quis hodie matutinum absolvere coeptum pridie (S. Alphonsus, IV, 168; D'Annibale, III, 150 (35)), nec non sine causa matutinum a laudibus (S. Alphonsus, IV, 167) et nocturnum a nocturno per tres horas (Ballerini-Palmieri, IV, 403), ac iusta ex causa etiam per maius tempus separari potest (Gury-Ballerini, I, 1035); imo quaelibet causa rationabilis sufficit ad licitam interruptionem ; et quamvis interruptio posita sit ob non iustam causam, nihil per se necessario repetendum est, etiamsi interruptio facta fuerit in medio psalmi. Bucceroni, II, 144.

(34) Croix, loc. cit., n. 1295 ; Gury-Ballerini, I, 1048, 9°; D'Annibale, III, 151.

(35) S. R. C. in *Marianopolitana* 18 maii 1883, ad 2 (3574); 1 febr. 1886 (3653).

(36) Laymann, op. cit., IV, 1, 5, 10 ; Croix, loc. cit., 1342.

(37) S. R. C. in *Tergestina et Iustinopolitana* 3 iul. 1904 ad 3.

(38) S. Alphonsus, IV, 179 ; Ballerini-Palmieri, IV 429 ; Gury Ballerini, I, 1019 sqq.; D'Annibale, III, 150 (36); cfr. decr. S. R. C. 12 nov. 1831 ad 40 (2682). In choro ita debent horae recitari, ut ad *asteriscum* psalmorum chorales pausam facere omnino teneantur, non obstante quacumque in contrarium consuetudine (S. R. C. 9 iul. 1864 [3122] et 4 mart. 1901). Si quando insufficiens habeatur choralium numerus, dummodo organa non sileant, possunt psalmi ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero recitetur sub organo, clara ac distincta voce ab uno e mansionariis (S. R. C. decr. cit. 4 mart. 1901).

9° Sunt et *causae excusantes* ab horarum recitatione; nempe impossibilitas, grave incommodum, urgens et necessaria occupatio (39).

10° Omnes autem illi, qui ab horis dicendis excusantur, si non valentes totum officium recitare, possint tamen recitare partem, hanc ipsam partem, ex. gr. parvam horam, dicere tenentur (40).

11° Potest quis etiam *dispensatione* legitimi superioris a breviario recitando eximi. Hanc autem dispensationem *valide*

---

(39) Hinc: *a*) Excusantur illi qui breviarium non habent (S. ALPHONSUS, IV, 159), vel qui caeci sunt (SUAREZ, *De hor. can.*, IV, c. 28, n.7 sqq.; LAYMANN, l. c., c. 6, n. 1); attamen si hi memoriter dicere possint vel integrum officium vel unam horam (non autem psalmos disgregatos, quia sic non habetur amplius officium divinum; SUAREZ, op. cit., n. 10), hoc ipsum recitare tenentur; dummodo haec recitatio memoriter facta non nimiam afferat defatigationem. Praeterea non tenentur hi, ex. gr. caeci, memoriae mandare ea quae nesciunt (S. ALPHONSUS, IV, 158). Si quis autem non habeat breviarium, ex quo legat officium proprium, ex. gr. de sancto, sed aliud habeat breviarium, ex quo legere possit officium de communi vel de feria, etc., ab onere recitandi non liberatur (D'ANNIBALE, III, 152 [42]). Imo si vel carentes breviario vel caeci recitare valeant officium cum socio, quem gratis (BALLERINI-PALMIERI, IV, 367) et commode quin illum cum anxietate et sollicitudine requirant (SALMANTICENSES, loc. cit., n. 44 ; SUAREZ, loc. cit., n. 16), ipsis invenire est, eo adhibito debent horas recitare (S. ALPHONSUS, IV, 158). *b*) Excusantur oculis caligantes (SALMANTICENSES, loc. cit., n. 39) ; morbo laborantes, etsi levi, dummodo ex recitatione grave incommodum vel certo vel etiam probabiliter sit secuturum (S. ALPHONSUS, IV, 514) ; convalescentes, qui nempe ex recenti morbo convaluerunt, nec satis firma adhuc valetudine utuntur, etsi interea missam celebrent (BALLERINI-PALMIERI, IV, 369 2), quamvis si missam non celebrarent officii recitationi possent satisfacere (LEHMKUHL, II, 638, 3). In dubio an infirmitas sit gravis, an grave incommodum ex recitatione secuturum, etc., si dubium non sit pure negativum, excusatur quis a breviario recitando (S. ALPHONSUS, IV, 154; BALLERINI-PALMIERI, IV, 369, 3°, 4°, 5°); quamvis melius quis se accomodet iudicio medici vel prudentis viri. Infirmus, qui certus est se non posse recitare officium integrum, dubitat autem an possit partem, probabiliter ad nihil tenetur ; res enim esset secus scrupulis quam maxime obnoxia, quae exinde maximum infirmo afferret incommodum (S. ALPHONSUS, IV, 154, 4). Attamen numquam excusat levis quaedam infirmitas, ut levis dolor capitis, febricula, etc. (SALMANTICENSES, loc. cit., n. 35). *c*) Excusantur illi, qui coguntur graviorem quamdam obligationem obire, quam praetermittere vel differre non possunt sine gravi damno suo (ut si quis studiorum periculum facere, vel publice legere magno et inusitato quodam apparatu deberet, vel extraordinariam quamdam concionem habere ; S. ALPHONSUS, IV, 156, 158; SUAREZ, op. cit. c. 28, n. 35; SALMANTICENSES loc. cit., n. 37) vel aliorum (ut si oporteret confessiones audire, ad infirmum accurrere, sedare iurgia ; GURY-BALLERINI, I, 1043). Causa studii ordinarii a recitatione horarum non excusat (cfr. *propositionem* 21 damnatam ab ALEXANDRO VII decreto diei 24 sept. 1665).

(40) Cfr. *propositionem* 54 damnatam ab INNOCENTIO XI, decreto diei 2 mart. 1779 ; BALLERINI-PALMIERI, IV, 373.

etiam sine iusta causa, *licite* ex causa iusta *unus* Romanus Pontifex dare potest (41), qui illam per S. Congregationem Concilii concedere solet, sed iusta ex causa, et ordinarie substitutione facta aliarum precum (42). Episcopi vero tunc possunt dispensare a recitatione breviarii, quum etiam in aliis legibus iuris communis dispensare possunt (43).

CANON 136.

§ 1. *Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant.*

§ 2. *Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.*

§ 3. *Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.*

1. Externus corporis cultus, quem clerici curare debent, in hoc completur, ut habitum clericalem et tonsuram et coronam deferant.

Quod ad *habitum* clericalem, sciendum est per priora quinque secula vestem civilem clericorum cum in oriente tum in occidente similem omnino fuisse vestibus laicorum (1). Ratio huius fuit tum persecutiones ea aetate invalescentes, cum ne clerici despicerentur, quum demissior habitus et tonsi crines

---

(41) D'Annibale, III, 153.

(42) Constit. Benedicti XIV « Gravissimum » 26 nov. 1745, § 5.

(43) Cfr. Ojetti B., *Comment. in Cod. I. C.*, I, ad c. 81.

(1) Cfr. Thomassinum, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, part. 1 lib. 2 c. 43, qui plura ad hoc probandum affert argumenta, praesertim *epistolam*, quam Caelestinus Papa a. 428 dedit *episcopis Viennensis et Narbonensis provinciae*, quaque improbat novum morem tunc sensim invalescentem inter clericos, uti nempe pallio ac cingulo pro toga et tunica romana, qui erat habitus ipsis laicis tunc communis, et addit : « discernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina non vultu, mentis puritate non cultu ».

tunc temporis adhiberentur a monachis, qui tamen in eremis suis viventes raro ad urbes veniebant, et si quando veniebant, ludibria referebant non pauca. Quamvis autem tunc clerici iisdem uterentur vestibus ac laici, decebat tamen modestiores prae his vestes adhibere (2).

Seculo VI iam quaedam introducta est varietas. Nam quaedam concilia provincialia istius aetatis prohibent clericos ab adhibenda breviore veste (*sagum* eam dicebant) et confirmant usum togae romanae (3). Seculo VII et VIII haec vestium varietas pro clericis confirmatur non solum in ecclesia occidentali, (4) sed et in orientali (5).

Seculo XI nondum fuerat introductus color niger pro clericorum vestibus (6); seculo XII et XIII plura concilia statuerunt, ut clerici non uterentur vestibus rubeis et viridibus (7), nec oblongioribus nec brevioribus, nec manicatis, et praesertim ulla ex parte scissis vel apertis (8). Seculo XIV in Concilio Ravennatensi (a. 1314) praecipitur vestis talaris undique clausa et eius coloris, qui iure permissus sit (9); item praecipitur, ut clerici capita cooperiant pileo vel birreto vel almutia oblonga ad aures, quam Concilium Senonense (a. 1320) prohibuit esse ex panno serico villoso (*velluto*). Hoc tamen seculo iam per-

---

(2) Cfr. c. 45 Conc. Carthaginiensis IV: « Clericus professionem suam et in habitu et in incessu probet, et nec vestibus nec calceamentis decorem quaerat ». Cfr. etiam S. HIERONYMUM *in Michaeam*, cap. 3, et *ad Eustochium de custodia virginitatis* (M. P. L., I, 22), ubi acriter increpat clericos, qui vane se gerunt : « Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur, digiti annulis radiant; et ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales quum videris, sponsos magis existimato quam clericos ».

(3) Cfr. THOMASSINUM, loc. cit., c. 46.

(4) Cfr. respons. ZACHARIAE *ad Pipinum* tunc temporis Maiorem domus agentem, apud THOMASSINUM, loc cit.

(5) Cfr. can. 27 Synodi Trullanae : « Nullus eorum qui in cleri catalogo relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in civitate degens neque iter ingrediens. Sed utantur vestibus, quae iis, qui in clerum relati sunt, attributae fuere. Si quis autem tale quid fecerit, una septimana segregetur ».

(6) Conc. Coiacense in Hispania (a. 1050) can. 3 praescripsit ut clerici vestimentum unius coloris et competens haberent ; idem seculo XII (a. 1102) praescripsit Concilium Londinense.

(7) Hae tamen episcopis concedebantur. Cfr. Conc. Avenionense (a. 1209) et Conc. Monpessulanum (a. 1214), apud THOMASSINUM, loc. cit., c. 50.

(8) Conc. Lateranense IV, c. 15 de vita et hon. cler. X. (III. 1).

(9) Clemens V in Conc. Viennensi, c. 2 de vita et hon. cler. (III. 1), inter Clementinas.

mittuntur vestes *manicatae*, ut in Concilio Avenionensi (a. 1337), sed, ut factum est in Concilio Andegavensi (a. 365), prohibentur adhuc vestes breves et etiam vestes, quas vocant, ante pectus *botonatas*. In hoc Concilio indictae sunt etiam poenae pecuniariae clericis quoque minorum ordinum, qui fibulata caputia gererent aut vestes breviores, quae non saltem genua tegerent.

Seculo XV iam permittuntur vestes aliquantulum anterius apertae, ut commodior esset incessus in urbe, ut in Concilio Salisburgensi (a. 1420). Seculo XVI Concilium Tridentinum (10) indicit clericis ut honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem nec non secundum episcopi ordinationem et mandatum, gestarent. Primus autem eodem seculo (11) S. CAROLUS BORROMAEUS nigri coloris vestes clericis praescripsit, violaceas (non sericas) episcopis reservavit. Iussit praeterea ut parochi caputium humero gestarent, episcopi rochetum et lineum superindumentum etiam ruri haberent, in sua tamen dioecesi; lugubri veste interdixit omnes omnino clericos etiam in funere ipsorum parentum (12).

Post Concilium Tridentinum et Concilia Mediolanensia S. Caroli proscripti sunt universim a vestibus clericorum colores alii omnes, unusque ex iis niger residuus factus est. Dignitates tamen semper aliquae ab hac lege absolutae fuere. Attamen sericae vestes etiam seculo XVII clericis omnibus, episcopis quoque, interdicuntur (13).

SIXTUS V Constit. « Quum sacrosanctam » 9 ianuarii 1589 praescripsit vestem talarem; sed seculo XVIII et primis quoque annis seculi XIX vestes clericorum etiam breviores passim permissae sunt, etiam in Italia. PIUS IX inculcavit, ut clerici iterum assumerent vestem talarem.

2. Nunc in hodierna ecclesiastica disciplina haec servantur quod ad clericorum habitum. Clerici debent gestare vestes,

---

(10) Sess. XIV, c. 6, *de ref.*
(11) Conc. I Mediolanense (a. 1565).
(12) Concilia Mediolanensia II (a. 1569) et III (a. 1573).
(13) Nunc vestes sericae sunt privilegium eorum, qui addicti sunt Domui Pontificiae. Hi omnes sericis vestibus utuntur, colore variis pro varia dignitate, excepto tempore hiemali, quo propter frigus et hi utuntur vestibus laneis. Quare episcopi, quamvis nonnulli hoc ius de facto sibi usurpent, non possunt uti vestibus sericis, nisi renuntiati fuerint Assistentes throno

quae eos a laicis distinguant. Quod ad formam nihil statuitur in iure communi; sed ad ordinarium loci pertinet ipsam determinare (14), qui tamen formam decentem generali consuetudine receptam absque rationabili causa immutare non debet. Si spectemus vero praxim generalissimam, dicendum est clericos vestem talarem (15) nigri coloris (16) deferre debere, nisi aliter incedere alicubi cogantur, praesertim inter haereticos et infideles. Praelati aliique in dignitatibus constituti varii coloris vestibus utuntur, sed talaribus semper. Hanc disciplinam ita refert Codex:

§ 1. ***Omnes clerici,*** – sive proinde maiores sive minores, – ***decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et ordinarii loci praescripta, deferant.***

3. Iubentur praeterea clerici in hac eadem paragrapho deferre tonsuram, quae tonsura a Codice confunditur cum corona, de qua statim postea, secundum modum loquendi vulgo usitatum et ad mores vigentes accomodatum. At per se una ab altera probe distinguitur. Haec obligatio a Codice ita refertur:

tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, – ut saepe in regionibus anglicis et germanicis, – ***gestent.***

4. De tonsura autem secundum antiquam significationem Codex haec habet:

et capillorum simplicem cultum adhibeant. - Tonsura enim haec fuit prohibitio laxandi comam, seu iniunctio utendi brevioribus capillis, quae a primis usque seculis semper in ec-

---

pontificio, quia hac nominatione consequuntur quod ad vestes omnia iura antistitum Pontificiae Domus. Cfr. *Cerem. episcop.*, cap. III § 1 ; GRIMALDI, *Les Congrégations romaines*, cap. 5.

(14)S. C. Conc. in *Ruben.* 18 aug. 1708 et in *Spolet.* 28 ian. 1764, apud RICHTER, *Conc. Trid.*, pag. 92.

(15) Alicubi, praesertim in montanis, extra functiones sacras brevior vestis permittitur. WERNZ, II, 177.

(16) Hoc valet semper in functionibus sacris ; extra functiones sacras subobscurus color alicubi ex particulari iure permittitur. BENEDICTUS XIV, *De Syn.*, XI, 8 ; WERNZ, II, 177).

clesia viguit. Et re quidem vera in *Libro Pontificali*, qui tribuitur Damaso Pontifici, dicitur Anacletus constituisse, ut clerici comam non nutrirent *secundum praeceptum apostolicum* (17). Hoc praeceptum confirmatum est in *Collectione Canonum Martini Bracharensis episcopi* seu in « Capitulis Martini » (18); et postea in *Decretalibus Gregorii IX* (19), ex quibus clerici nutrientes comam et barbam, etiam inviti, ab archidiacono tonderi poterant (20). Haec coercitio, cessata iurisdictione archidiaconi, ab episcopo contra huiusmodi clericos potuit adhiberi.

Huc spectat etiam prohibitio comam ascititiam seu fictitiam deferendi. Mos iste, superimponendi alienos capillos capiti, proprius fuit luxuriantium feminarum, deinde per aliquod tempus viris quoque communis fuit. Hunc morem nonnulli clerici, levitate nimia animi ducti, secuti sunt. At nemo non videt quantopere a gravitate clericali mos iste abhorreat. Hinc iure huiusmodi consuetudo quod ad clericos a pluribus synodis proscripta est (21). Quare clerici prohibiti sunt comam fictitiam etiam ex necessitate deferre, nisi de indulto episcopi extra missarum celebrationem (22); tempore autem missae nonnisi de indulto unius Romani Pontificis (23).

---

(17) Hoc praeceptum apostolicum probabilius prima Ecclesiae aetate commune fuit omnibus fidelibus, iuxta illud Pauli, *I Cor.*, XI, 14-15 : « Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi ; mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt » ; sed postea, relaxato fervore, factum est proprium clericorum. Cfr. Thomassinum, op. cit., p. I, lib. 2, c. 37.

(18) In his dicitur : « Non oportet clericos comam nutrire ac sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus etc. ».

(19) cc. 4, 5, 7 de vita et honestate cler. X. (III. 1). Iure Decretalium adeo indecora clericis censetur esse immoderata cultura comae, quae levitatem animi nimiam manifestat, ut hos clericos comae cultores excommunicari etiam possint, ut patet ex capite 4 nuper citato : « Si quis clericus comam relaxaverit, anathema sit », idest, ut explicat *Glossa*, excommunicetur.

(20) c. 7 tit. cit. X. (III. 1).

(21) Synodus Pisana (a. 1708), cap. 25 ; Synodus Montis Falisci (a. 1710), cap. ult. ; Synodus Portallegrensis (a. 1714), sess. 3 cap. 1, apud Benedictum XIV, *De Synodo*, XI, 9.

(22) S. C. Conc. 9 dec. 1690 ; S. C. Rit. 4 apr. 1699.

(23) Haec prohibitio fundatur in decreto Zachariae lato in Synodo Romana, c. 13 et 14, et relato in Decr. c. 57 dist. I de consecr., quo edicitur, ne presbyteri et diaconi vel etiam episcopi missae sacrificium velato capite offerrent aut offerenti assisterent. Confirmata autem est haec prohibitio decreto S. R. C. 31 ian. 1626 et declaratione Innocentii XI ad legatos apostolicos et episcopos. Decretum hoc a collectione officiali expunctum est ; sed retentum est aliud in una *Burgi S. Sepulcri*, idem

5. Tenentur insuper clerici deferre *coronam*, seu habere caput in vertice abrasum in modum circuli. Hic usus tempore persecutionum vigere profecto non potuit (24), sed nec postea viguit quinque priora secula (25). Initium tonsurae deferendae factum esse videtur exeunte seculo V vel VI incipiente; eiusque causa nulla alia videtur quam ea, qua tunc flagrabant episcopi, vehementissima voluntas imitandi vitam, quam sanctissimam monachi et omni laude dignissimam profitebantur. Tunc enim asciscebantur e monasteriis episcoporum pars maxima, qui ei rei plurimum studebant, ut et monachorum retinerent habitum et mores in clericos transferrent. Monachi autem radebant caput in signum poenitentiae. Perspicuum vero testimonium coronae clericalis iam habemus in Concilio Toletano IV

---

edicens, diei 4 apr. 1699 ad 5 (2027). Confer quanta fecerit BENEDICTUS XIV, dum esset archiepiscopus Bononiensis, ut consuetudinem deferendi comam fictitiam et circulos capillorum, quae apud clericos illius dioecesis inoleverat, de medio tolleret.

(24) THOMASSINUS, op. cit., p. I, lib. 2, cap. 37.

(25) Habemus quod ad hoc testimonium OPTATI MILEVITANI (lib. 2. *contra Donatistas*), qui Donatistis exprobat, quod episcopis et sacerdotibus catholicis capita rasissent : « Dicite ubi vobis mandatum sit radere capita sacerdotibus, quum e contrario tot sint exempla proposita fieri non debere ». Habemus et testimonium HIERONYMI (*in cap. 44 Ezechielis* : M. P. L., XXV, 437) : « Perspicue demonstratur nec rasis capitibus, sicut cultores Isidis et Serapidis, nos esse debere ; nec rursus comam dimittere, quod proprie luxuriosorum est barbarorumque et militantium ; sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur. Pro quo dixere LXX : *Capita sua non radent et comas suas ad pressum non tondebunt : sed operientes operient capita sua*, iuxta quod discimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos esse dimittendos, ut operta sit cutis ». Afferebant nonnulli in contrarium, episcopos frequentissime olim adiuratos fuisse per suam coronam. Sic HIERONYMUS ad Augustinum scribens (*epist.* 123 : M. P. L. XXII, 1180): « Fratres tuos dominum meum Alypium et dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor coronam tuam » ; cfr. etiam AUGUSTINUM, *epist.* 33 *ad Proculeianum* partis Donatianae episc., n. 5 (M. P. L. XXXIII, 131) : « Honorant nos vestri, honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri ». At huiusmodi locis *corona* intelligenda omnino videtur pro sacerdotio seu plenitudine sacerdotii, tum quia de solis episcopis non de aliis clericis dicebatur, cum quia de sanctissimis episcopis refertur quidem eos fuisse coma breviori, sed de hac capitis rasione numquam fit mentio. Hoc confirmatur ex eo quod Concilium Carthaginense IV (sec. IV), quod tanta cura scripsit de ceremoniis adhibendis in ordinatione clericorum minorum et maiorum ordinum, nihil tradit de corona hoc sensu accepta, sed solummodo iubet clericum et comam non nutrire et barbam radere.

(a. 633) (26), ex quo, ut annotat THOMASSINUS (27), haec deducuntur: *a*) eam fuisse diaconorum et sacerdotum (episcoporum nempe et presbyterorum) tonsuram, quae partem superiorem capitis totam aperiret, idque tantummodo capillorum relinqueret, quod esset instar circuli aut coronae; *b*) hanc coronam clericos omnes gestare debuisse; *c*) eam in usu fuisse pro omnibus omnino clericis, saltem omnium Hispaniae provinciarum, si excipias unam Galliciam, in qua clerici inferiores prolixas comas ut laici deferebant; *d*) tandem clericos, qui adhuc retinerent morem haereticorum detondendi in summo apice capitis modicum circulum, pro haereticis habendos.

Nondum tamen, ut videtur, haec tonsio fiebat per abrasionem capillorum, sed decurtatis capillis; semper enim in documentis illius aetatis distincte dicitur, clericis tondendum esse caput et radendam barbam. Abrasio capitis in nostrum modum fortasse ex tempore Caroli Magni idest exeunte seculo VIII vel IX ineunte originem habuit in Ecclesia latina (28); Graeci capita sua omnino abradebant, quare rasum caput, etiam quum divinis operabantur, panno operire debebant. Haec abrasio in capitis apice postea semper retenta est, sed in parte capitis inferiore nescimus praecise quo tempore sit relicta, et sic non est amplius habita corona capillorum, quae exinde exsurgebat. Etiam nunc viget usus et lex (29) deferendi tonsuram et coronam (per abrasionem in vertice capitis); quas negligere, saltem diu, pluribus letale est (30); at aliis iure dubium (31).

---

(26) In eo stabilitum est « Omnes clerici vel lectores, sicut levitae et sacerdotes, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquunt; non sicut hucusque in Galliciae partibus facere lectores videntur, qui prolixis ut laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum fuit. Unde oportet ut pro amputando Ecclesiae scandalo hoc signum dedecoris auferatur ; et una sit tonsura vel habitus sicut totius Hispaniae est usus. Qui autem non custodierit, fidei catholicae reus erit ».

(27) Loc. cit., cap. 38.

(28) THOMASSINUS, op. cit. p. I, lib. 2, c. 40.

(29) Cfr. Const. Sixti V « Quum sacrosanctum » 9 ian. 1589.

(30) Cfr. GURY-BALLERINI, I 998.

(31) S. ALPHONSUS, VI, 426 ; BALLERINI-PALMIERI, IV, 445 ; D'ANNIBALE, III, 146. Quare in praxi clericus, etiam maiorum ordinum, qui diu quoque coronam non deferret, de gravi dammandus non esset.

Imo nunc clerici *barbam* quoque deferre prohibentur (32), quod tamen etiam antiquum est, ut vidimus ex Concilio Car-

(32) Codex de hac obligatione clericorum *radendi barbam* silet. Hinc nonnulli putarunt post Codicem eam non amplius vigere. Horum sententiam refert emus archiep. Wratislaviensis in litteris datis ad S. Congr. Conc. die 2 sept. 1919, his verbis : « Asserunt quidam auctores canonem 136, qui capillorum simplicem cultum permittit et de abradenda barba omnino tacet, libertatem gestandi barbam modestae formae omnibus secularibus clericis concessisse, non obstante consuetudine per totam Germaniam vigente, quae hucusque vim obligantem habuit. In Germania enim barbam gestare vetitum est partim per Concilia provincialia, partim per consuetudinem centenarium superantem. Quo vero ad legislationem dioecesanam, alii asserunt episcopum decernere posse probibitionem in sua dioecesi hucusque vigentem firmam et obligantem manere ; alii volunt episcopum nihil iure communi expresse permissum prohibere posse, nisi ipsi sacri canones id ei aperte concedant vel Sanctae Sedis auctoritate probibitio confirmetur. Episcopi nuper Fuldae in conferentiam congregati unanimiter censuerunt vigentem hucusque prohibitionem non esse tollendam. Optandum certe est, ne in hac re, licet minime pertineat ad essentiales status clericalis virtutes, varietate indecenti admiratio aliqua in populo oriatur. Idcirco reverenter peto a S. Congregatione : An Codice iuris canonici data sit quibuscumque clericis secularibus libertas gestandi barbam, et respective, an episcopis competat prohibitionem hucusque vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis ». Duobus autem his quaesitis S. Congr. die 10 ian. 1920 (A. A. S., 1920, p. 47) respondit : « Negative ad primam partem : affirmative ad alteram ». Fundari autem haec responsio videtur voto consultoris, quod hic in compendium redactum praestat referri. Postquam igitur animadvertit consultor difficultatem nullum aliud habere fundamentum, ut patet, quam canonem 6 n. 6, negat hunc canonem applicari posse quaestioni solvendae : quia hic non agitur de vera edita lege, quae non fuerit lex specialis pro particularibus locorum (et temporum) circumstantiis lata, sed lex generalis prorsus perpetuo et ubique valitura. Idque probatur, quia « canones, qui ad rem citari solent, v. gr. caput 7 *de vita et honest. cleric.* III, 9, ex communi doctorum sententia ita accipiuntur, ut solummodo prohibeant barbam nutrire more saecularium studiose compositam : epistolae etiam RR. PP. (v. gr. Gregorii VI ad archiep. Calaritanum ; acta Concilii Later. a. 1514 sub Leone X) tantummodo testantur pristinum morem et institutionem Romanae ecclesiae, quem a contrariis abusibus defendunt. Nullibi autem reperitur vera et generalis lex morem gestandi barbam ubique et futuris temporibus interdicens... Secundo et consequenter : mos iste barbam radendi, prouti historicae eius vicissitudines ostendunt, nonnisi *consuetudine* probatis nempe regionum moribus, quandoque iure particulari firmatis, universalis evasit, saltem quoad locorum circumstantias... Ceterum, absonum prorsus censeri debet eorum commentum, qui volunt in ipso numero 6 can. 6 abrogatas esse *consuetudines* generales, de quibus Codex simpliciter sileat, quasi Legislator benignius egerit erga consuetudines vigentes *contra* canones (cfr. can. 5 coll. cum can. 30), quam erga consuetudines *secundum* aut *praeter* legem. Tertio, praescindendo a generali praescripto legis, dubium esse nequit, quin in casu particulari lex in loco vigens prohibensque barbam gestare, pro norma sumenda sit, non solum quia, ex iam demonstratis, silentio Codicis potius recepta quam exclusa apparet, sed etiam ex explicito praescripto can. 20, ubi docetur : « si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive *particularis* », unde pronum est inferre, silente lege generali, sequendum esse particularis legis praescriptum. Fortius id firmatur, si consideretur praescri-

thaginiensi IV, quamvis non semper et constanter mos iste fuerit retentus (33).

6 In secunda paragrapho canon interdicit clericis usum annuli generali prohibitione :

§ 2. ***Annulo ne utantur ;*** — exceptio tamen fit pro illis, quibus idem usus permittitur sive a iure, sive ex privilegio apostolico : — ***nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum.*** — Ius autem illum permittit *cardinalibus, episcopis, abbatibus, praelatis nullius, doctoribus* rite creatis (34).

---

ptum hoc particularis legis, in casu, conforme omnino esse universali in praesenti Ecclesiae latinae usui et consuetudini, prouti in comperto est ». Attamen circa hoc votum confer iudicium CHELODI, *Ius de personis*, 59 not. 8 ad pag. 85 et 119 not. 3 ad pag. 192.

(33) GREGORIUS VII, increpans clericos Sardiniae, qui morem Graecorum imitati barbam deferebant, dicit barbam radendi morem ecclesiae occidentalis clerum ab ipsis fidei christianae primordiis tenuisse. Imo iam antea NICOLAUS MAGNUS defendit morem hunc radendi barbam apud clericos occidentales contra improbationes Photii eiusque sectatorum (cfr. *epistolam Nicolai Pp. ad Hincmarum*: M. P. L., CXIX, 1155) nec non eius moris defensores contra Graecos ; eadem aetate Nicolai habemus RATRAMNUM monachum Corbiensem (*Contra Graecorum opposita*, lib. IV, c. 5: M. P. L., CXXI, 748). Hunc morem testatur etiam Card. HUMBERTUS, legatus Leonis IX (sec. XI) ad urbem Constantinopolitanam. Tempore S. Caroli (sec. XVI) usus gestandi barbam in clericis toleratus est. Exeunte seculo XVII ad antiquum morem resecandi barbam clerici redierunt. Nostra aetate, quum nonnulli ex Bavariae sacerdotibus usum barbam gestandi iterum introducere conarentur, Nuntius Apostolicus Monachii residens archiepiscopo Monacensi 4 maii 1863 nomine PII IX significavit, a Bavariae antistitibus omnino curandum esse « non solum ut praedictus usus expresse prohibeatur, sed etiam ut disciplinae unitas et perfecta cum ecclesia Romana omnium magistra conformitas in omnibus, ac proinde etiam in habitu et tonsura clericorum, servetur, vel, si opus sit, restauretur ».

(34) Vere expresse concessum in iure habetur tantum pro abbatibus vel praelatis nullius (can. 325) et pro doctoribus (can. 1378). Pro episcopis implicite habetur in can. 349 §1 n. 2, ubi dicuntur ius habere deferendi *insignia episcopalia* ad normam legum liturgicarum. Pro cardinalibus nihil dicitur sive expresse sive implicite, nisi quis velit implicitam concessionem videre in can. 239 § 1 n. 12 ; sed id non videtur asserendum, quia ibidem concessio expresse restringitur ad ius gestandi crucem ante pectus atque utendi mitra et baculo pastorali. Forte dicendum id esse colligendum cum ex usu recepto, tum ex notione cardinalium, quorum nomini non alia in iure subiecta est notio, nisi praecipuorum consiliariorum et adiutorum Romani Pontificis in regenda Ecclesia (can. 230). Qui igitur primi sunt in dignitate, potioribus debent etiam honorificis uti insignibus. Ex quo etiam illud infertur, rationalibiter inductum esse illud, quod vidimus sancitum in can. 349 § 1 n. 2, eos, etsi ordine non sint episcopi, posse semper et ubique gestare crucem ante pectus, etiam supra mozetam. Ceterum « quaedam iura non scripta sed omnibus scriptis certiora sunt ». Sen. Contr. 1, p. 75, ed. Bip.

7. In tertia paragrapho agitur de poena, quae tenet clericum minorum ordinum non gestantem habitum ecclesiasticum et tonsuram (35).

§ 3. ***Clerici minores, qui propria auctoritate,*** — non igitur si de licentia ordinarii sui, — ***sine legitima causa,*** — quae proinde si habeatur, etiam sine licentia ordinarii, non procedit dispositio canonis, — ***habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec ab ordinario moniti sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.*** — Et haec est sanctio aptissima, quam iam applicatam vidimus clerico minori contrahenti validas nuptias in can. 132 § 2, et videbimus in can. 141 § 2, quod ad clericum sponte sua militiae nomen dantem.

Scilicet is facto ipso demonstrat se nolle amplius ad clerum pertinere, qui non solum habitum et tonsuram dimisit, sed, a suo ordinario monitus, non se emendavit intra mensem, idest male dimissum habitum et tonsuram non resumpsit.

At nota, id locum habere quando clericus *simul* dimisit habitum clericalem *et* tonsuram. Si enim clericus incedens in

---

(35) Antiquo iure qui habitum ecclesiasticum non deferebant, ex Concilio Tridentino, sess. XIV, c. 6 *de ref.*, innovante et ampliante Constit. CLEMENTIS V in Conc. Viennensi editam (c. 2, tit. cit. [III. 1] inter Clem.), si in sacris fuissent aut beneficiati, et post monitionem episcopali etiam edicto peractam adhuc parere recusarent, obnoxii erant suspensioni ordinum, officii ac beneficii et proventuum ; si vero semel correpti denuo in hoc deliquissent, etiam per privationem officiorum et beneficiorum coerceri poterant et debebant. SIXTUS V, Constit. « Quum sacrosanctum » 9 ian. 1589, eosdem cunctis dignitatibus, canonicatibus, beneficiis simplicibus ac pensionibus ipso facto privatos decrevit sine ulla monitione, citatione, iudicis decreto ac ministerio. At idem SIXTUS V paullo post, Constit. « Pastoralis » 31 ian 1589, temperavit has poenas quod ad habentes pensiones, ita ut eas nonnisi ii incurrerent, quorum pensio excederet 60 ducatos aureos de Camera. BENEDICTUS XIII, Constit. « Apostolicae Ecclesiae » 2 maii 1725, statuit, ut clerici huiusmodi, etiam ante admonitionem, citationem et sententiam, non facerent fructus suos, tenerentur eos restituere et applicare fabricae ecclesiae, sublata facultate eos ipsis condonandi etiam maiori Poenitentiario ; at BENEDICTUS XIV, Constit. « Pastor bonus » 13 apr. 1744, concessit maiori Poenitentiario facultatem hos fructus huiusmodi clericis condonandi in casibus occultis, voluit tamen ut beneficio nonnisi iuris ordine servato per sententiam iudicis declaratoriam essent privandi. Attamen, ut notat idem Pontifex (*Instit. eccles.*, LXXI, n. 13), ad has poenas habendas non una violatio sufficiebat, sed iuxta doctorum sententiam aliquod temporis spatium intercedere debebat (BALLERINI-PALMIERI, IV, 443 sqq.). Clericos saltem Status pontificii sacris ordinibus non initiatos, reiectis vestibus clericalibus, omnibus clericorum privilegiis privari ipso facto sancitum fuerat a Pio IX.

habitu clericali solam coronam non gereret, aut comam nutriret (36) non teneretur, ut puto, hac sanctione. Quod etiam iure antiquo iam procedebat, secundum sententiam SCHMALZGRUEBER (37), qui negabat eum subiici poenis a iure statutis, etsi affirmaret puniri eum posse arbitrio iudicis.

CANON 137.

A fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario.

1. Haec negativa obligatio clericorum spectat ad tuendum decorem status clericalis. Nam nemo non videt, quot quantisque periculis plenum sit, clericum, qui generatim alienus erit ab iis omnibus, quae ad commercium pertinent, temere fideiubere pro alio. Bona fides clerici, et consequenter decor status clericalis, si postea clericus fideiussor damnetur ad solvendum pro debitore, in magnum periculum coniici possent. Haec causa fuerunt, cur praesente canone impositum sit clericis, ut ad hoc faciendum requirant venia ordinarii.

Canon clarus est, nec ullam facit difficultatem, etsi perfunctorie tantum legatur. Dicitur enim:

2. ***A fideiubendo,*** — idest ab ineundo contractu cum creditore, quo ad eum tuendum alienam quis obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis (1); — ***etiam de bonis***

---

(36) De clerico, qui, dimisso habitu ecclesiastico, tonsuram gereret, nihil dicendum est: ei, si detur, elleborum opus est, estque in alienatorum domum includendus.

(37) *In tit.* 1 *lib. III Decret.*, n. 36.

(1) *Inst. Iust.* lib. III, t. 21 de fideiussoribus; *Cod. civ. Ital.*, a. 1898. Iure anteiustinianeo tres erant formae stipulatae fideiussionis: antiquissima erat *sponsio* cum verbis: *idem spondes*? eaque solis civibus romanis permittebatur; posterior, quae permittebatur etiam peregrinis, erat *fideipromissio* cum verbis: *idem fide promittis*? Duae istae formae adhiberi tantum poterant pro obligationibus verbalibus, erantque maxime personales, quae proinde non transirent in heredes sponsoris aut fideipromissoris. Novissima forma fuit *fideiussio* cum formula: *idem fide tua iubes*? Permittebatur peregrinis et transibat ad heredes fideiussoris. Accedere poterat obligationibus quibuscumque, etiam futuris. Iure Iustistinianeo antiquiores formae in desuetudinem abierunt: unice perstitit fideiussio. Haec autem fuit accessio alterius obligationis, quia fideiussor

propriis, — multo scilicet magis de bonis beneficiariis, quod tamen aliunde vetatur, — ***clericus prohibetur, inconsulto loci ordinario,*** — qui proinde audiendus saltem est (2). Adverte autem hic, quae merito notat Toso (3): « Patet tamen fideiussioni necessariae, quae iudicio laicali (cfr. *Cod. civ. ital.* art. 1923) praecipiatur, se subtrahere clericum non posse », quo igitur in casu clericus non tenetur ad ordinarium recurrere.

CANON 138.

Clerici ab iis omnibus quae statum suum dedecent, prorsus abstineant: indecoras artes ne exerceant; aleatoriis ludis, pecunia exposita, ne vacent; arma ne gestent, nisi quando iusta timendi causa subsit; venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant; tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur.

---

promittebat, eodem reo principali manente obligato. Qui si ab antiqua obligatione liberaretur, non fideiussor, sed *expromissor* habebatur. Expromittere enim in iure is dicebatur, qui alienam obligationem in se suscipiebat, liberato reo aut eo nomine non obligato. *Obiectum* autem fideiussionis est materia, circa quam, idest cui obligatio accedit. Quum autem fideiussoris obligatio sit accessio alterius obligationis, necesse est statui aliquam obligationem, cui fideiussor accedat; alioquin et haec non tenebit. Cfr. VINNIUM, *Comment. in Inst. Iustin.*, in h. t., qui et advertit: « Veteres, quos nostri fideiussores postea dixerunt, appellabant *sponsores*. Cicero (*ad Att.* lib. I, ep. 8): Tulliola, nostrae deliciolae, tuum munus flagitat, et me sponsorem appellat; et alibi (*ad fam.* lib. 6, ep. 8): de negotio tuo, quod sponsor es pro Pompeio, si Galba consponsor tuus redierit etc. Species sponsorum sunt, qui dicebantur *praedes*, et item, qui *vades*. Praedes dicti, teste Asconio-Paediano (*Verr.* 3): satisdatores locupletes pro re, de qua apud iudicem lis est. Et Festus: Praes, inquit, est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, an praes sit, ille respondet: Praes... Vades autem dicti sunt, auctore Varrone, qui pro alio vadimonium promittunt, idest sponsores iudicio aliquem sistendi ». Circa autem *constitutum* et *receptum* Romanorum confer ROSSELLO, in *Arch. giurid.*, vol. XLV, pag. 1, et G. SERAFINI, ibid, pag. 553. Cfr. etiam DERNBURG, in trad. F. B. Cicala, *Diritto delle obbligazioni*, § 69.

(2) Ita BLAT, qui in h. l. dicit: « Ut sic illud prudentius fiat. Proinde quamvis non requiratur consensus ordinarii, non est parvipendendum eius consilium necessario requirendum ». Sed forte non immerito CHELODI, *Ius de personis*, n. 121, simpliciter dicit: « *Nequeunt* clerici sponsores fieri pro aliis, etiam de patrimonio privato (nam bona beneficalia et patrimonium sacrum nulli oneri submitti posse aliunde est) sine licentia ordinarii ». Certe novum esset in iure ab inferiore clerico audiri debere ordinarium, seu ab eo consilium petere, libero eo manente acceptandi vel respuendi consilium habitum.

(3) Ad h. c.

1. Incipit hic Codex agere de obligationibus *negativis* clericorum quod ad ea, quae *ad decorem* status clericalis pertinent, et statuitur regula generalis:

Clerici ab iis omnibus, quae statum suum dedecent, prorsus abstineant. — « Ea dedecent statum clericalem, quae cum eo apte componi non possunt, habita quoque ratione morum atque circumstantiarum: proinde iure particulari in genere determinanda relinquuntur », ait Toso (1).

At Codex, non contentus generali principio, ad quaedam particularia descendit. Hinc:

2. ***indecoras artes*** (2) ***ne exerceant,*** — quae quidem quales sint non determinatur, quia id pendet etiam a socialibus moribus, sed quaedam certo dantur, quae omni tempore et ubique tales habitae sunt et habentur. Sic, ex. gr., artes *lanionis, cauponis* et similes, multo magis *ioculatorum* seu *mimorum,* tales sunt (3), et semper habitae sunt ut sordidae. E contra ab exercitio artium liberalium et ingenuarum generatim clerici non excluduntur.

3. ***aleatoriis ludis.*** — *Aleatorius ludus* ille est, qui totus situs est in *pura sorte;* unde patet ne quidem *chartarum*

---

(1) *Comment. in Cod. I. C.* in h. c. n. 1.

(2) Ad hoc PASSERINUS, *in c. un. de vita et hon. cleric.* (III. 1) in 6°, haec scribit : « Notandum tertio, quod ars est quid exsistens in intellectu, est enim ratio et dictamen extrinsecus faciendi ad exemplar interioris formae et ideae. Nihilominus quod etiam actus exterior dicatur ars, et quod hic nomine artis veniat buffonaria et ioculatio, et quod hic actus prohibitus appelletur ars, volunt Domin. (n. 2) et Franc. (n. 2). Et quidem hoc verum esse potest, quia saepe contingit, quod nomen causae analogice tribuatur actioni vel effectui, ut logici docent. Verum huiusmodi intelligentia nec desumitur ex hoc textu, nec est ad mentem illius. Nam damnantur clerici artem ioculatoriam exercentes, et sic actualis ioculatio est artis exercitium, et pro tali habetur et damnatur, sed ars importat scientiam illam ioculandi iuxta exigentiam regularum talis artis. Artifices vero sunt, qui artem profitentur et exercent, ut quando amittunt sine delectu volentes illos inservire in suo artificio, et proprie artifex est, qui res mutata forma vendit, vel exterius ex arte agit, ad cuiuscumque advenientis inquisitionem. Quamvis ex usu magis proprie illi dicuntur artifices, qui materiam emptam et in alia forma mutatam vendunt ».

(3) Cfr. c. un. de vita et honest. cleric. (III. 1) in 6° ; S. C. P. F. 13 apr. 1807. Et nota in decretali BONIFACII VIII decerni clericos, qui per annum integrum artem ioculatorum, goliardorum aut buffonum exercuerint, ipso iure fieri infames. Si autem breviore tempore, et ter moniti non resipuerint, privatos fore omni privilegio clericali.

ludus per se dici posse aleatorius, et ideo, in se consideratus, permittitur (4).

pecunia exposita, — alea enim in ludo nonnisi de pecunia dicitur. In pecuniam autem ludere, quando de iis agitur, quae non *virtutis causa* (etsi *physica* tantum) fiunt, etiam Romanis vitiosum visum est (5).

ne vacent, — quod significat aliquam *consuetudinem* ludendi. Quare soli clerici, qui aleis inserviunt, idest qui aleis seu aleatoriis ludis diu et frequenter insistunt, graviter peccant, etsi sine scandalo hoc faciant (6). Attamen theologi non conveniunt in assignanda hac frequentia, quae ad grave peccatum requiritur (7); quare raro damnari poterit de mortali clericus, qui aleis ludit sine aliorum scandalo (8).

Antiqui dicebant clericos prohiberi *aleis et taxillis ludere:* qua prohibitione veniebant generatim omnes ludi, quorum eventus magis a fortuna pendet quam ab arte et industria ludentis (9). Haec autem praecipue prohibentur, si fiant ex fructibus beneficii et bonorum ecclesiasticorum. Delinquentes puniebantur poena excommunicationis ferendae sententiae (10); et non excusabantur a consuetudine contraria (11).

Ludi vero, qui in ingenio potius vel virtute corporis consistunt, clericis non sunt vetiti, dummodo tamen ex modo eos

---

(4) S. Alphonsus, III, 900 ; Ballerini-Palmieri, IV, 452.

(5) l. 2 de aleatoribus D. (XI. 5) : « Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere, praeterquam si quis certet hasta vel pilo iaciendo vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat ». Qua lege relata Toso, loc. cit., n. 3 merito addit : « Si igitur iure romano — sicut etiam iure civili nostri temporis (cfr. Cod. civ. ital. a. 1802) — omnis ludus, qui ad aemulationem et civicam virtutem non pertineat, pecunia exposita, tamquam turpis habetur, ideoque vel interdictus est vel saltem actio non datur (ibid.) ad pecuniam victo repetendam, nihil mirum id clericis a iure vetari ».

(6) c. 1, dist. XXXV ; Reiffenstuel, *in tit.* 1 *libr. III Decr.*, n. 58 ; S. Alphonsus, III, 896 sqq.

(7) S. Alphonsus, III, 897.

(8) D'Annibale, III, 160.

(9) c. 11 de excessibus praelatorum X. (V. 31) ; Conc. Trid., sess. XXII, c. 1 *de ref.* ; sess. XXIV, c. 12 *de ref.* ; Barbosa, *Iur. eccl. univ.*, I, c. 40, n. 66 ; Molina, *De iust. et iure*, tr. II, disp. 51 vers. Quod vero.

(10) c. 1, dist. XXXV.

(11) c. 11 tit. cit. X. (V. 31), quo Innocentius III hanc consuetudinem reprobavit ceu corruptelam iuris.

exercendi (quemadmodum esset, si corporales et gymnastici ludi publice exercerentur) clerici aliis scandalo non sint (12). Imo, si quaestio est de ludis, qui secreto et modice fiant, etiam ludi alearum ad recreandum aliquando animum clericis non prohibentur (13). Cavere autem debent episcopi a nimio rigore contra clericos ludentes (14); a quo tamen, ut recte annotat WERNZ (16), videtur immunis episcopus, qui severe etiam prohiberet clericis eos alearum ludos, qui a potestate civili omnibus civibus prohibentur (16).

4. *arma ne gestent* (17), — clericorum enim munus est omnibus bene facere, nemini nocere. Quare arma materialia non sunt eis necessaria; sed clericorum arma sunt orationes et lacrimae (18).

nisi quando iusta timendi causa subsit. — Naturale enim ius est consulendi suae defensioni, si quod praevideri possit prudenter periculum subesse, veluti, ut ait BARBOSA (19), si

---

(12) BARBOSA, loc. cit., n. 67.

(13) BARBOSA, loc. cit., n. 66 ; SANTI, *in tit.* 1 *lib. III Decr.*, n. 19, ubi bene advertit hoc erui etiam ex citato can. 1 dist. XXXV quum hic canon loquatur de clericis, qui aleis deserviunt, idest, ut explicat *Glossa*, « valde serviunt » ex professo et habitualiter aleis dant operam. Cfr. etiam D'ANNIBALE, III, 160.

(14) Hinc a S. Congr. Concilii 20 dec. 1637 reprobatum fuit decretum synodale episcopi Vasionensis, quo sub excommunicatione latae sententiae prohibebantur sacerdotes ludere aleis et taxillis quocumque modo et cum quacumque persona. Cfr. BENEDICTUM XIV, *De Synod.*, X, 2, n. 2 ; GIRALDI, *Expos. iur. pub. com.*, ad c. 15 h. t.

(15) Loc. cit., II, 214, III.

(16) *Cod. poen. ital.* poenis carceris et mulctae pecuniariae subdit aleis (*giuochi d'azzardo*) ludentes. Cfr. art. 484-487.

(17) Haec armorum gestatio clericis prohibebatur antiquo iure sub poena excommunicationis ferendae sententiae. Cfr. c. 2 tit. cit. X. (III. 1) ; c. 1 eiusd. tit. (III, 1) in Clem.; BENEDICTUM XIV, op. cit., lib. X. Nota tamen capita iuris citata loqui de armis militaribus, quae publice more laicorum gererentur, ut tunc erat in usu (SCHMALZGRUEBER, *in tit.* 1 *lib.* III *Decr.*, n. 33 ; BALLERINI-PALMIERI, IV, 450).

(18) c. 3 dist. XXXVI ; c. 3 C. XXIII, q. 8 : « Non pila quaerunt ferrea (non arma Christi milites). Coactus repugnare non novi ; sed dolor, fletus, orationes, lacrimae fuerunt mihi arma adversus milites. Talia enim munimenta sunt sacerdotis ». Quae in decreto desumpta dicuntur ex AMBROSIO ; sed BERARDI (t. IV, pag. 107) putat duos initiales versiculos « adiectos esse a quodam iuniore, qui sequentia Ambrosii verba voluerit paucis non ineleganti metro perstringere ».

(19) Op. cit., lib. I, c. 40, n. 139. Cfr. etiam *Glossa* in cit. cap. 2 X. (III. 1) ; SCHMALZGRUEBER, loc. nuper cit.

per loca periculosa iter faciant, vel si essent in obsidione, aut haberent inimicitias, seu ex aliqua iusta alia causa.

5. ***venationi ne indulgeant, clamorosam autem numquam exerceant.*** — Etiam venatio clericis interdicitur (20), frequens semper et clamorosa, quae nempe fiat magno apparatu hominum, canum, armorum (21). Quietam venationem haud frequenter clericis exercere licet, nisi ab ordinario prohibiti fuerint, qui iustis de causis eam quoque prohibere posse non est dubium (22).

6. ***tabernas aliaque similia loca... ne ingrediantur.*** — *Taberna*, sine addito, latine non habebat significationem, quam nunc habet apud nos tabernae vinariae (*osteria*); erat nomen genericum designans omne aedificium utile ad vendendam aliquam mercem, quae specificari debebat adiectivo qualificativo aut periphrasi. Ita habemus apud CICERONEM (23): « instructam medicinae exercendae causae tabernam », ad designandum locum, in quo pharmaca vendebantur (*farmacia*), et alibi (24) « tabernam librariam »; apud VARRONEM et HORATIUM, « tabernam cretariam, unguentariam », etc. Et ita etiam in iure ipso (25). *Tabernas*, de quibus hic, puto supponere pro *cauponis* aut tabernis *vinariis*, et quidem *exclusive* (26), quia secundum antiquum ius de tabernis ad vendendam cerevisiam non potest esse sermo, et canon secundum antiquum ius

---

(20) cc. 1. 2 de clerico venatore X. (V. 24); Conc. Trid., sess. XXIV, c. 12 *de ref.*

(21) S. ALPHONSUS, III, 606; BALLERINI-PALMIERI, IV, 453, qui secundum ius antiquum bene annotabat, venationem etiam clamorosam non prohiberi sub gravi, nisi esset frequens, nam c. 1 cit. de clerico venatore ait « saepius ». At nunc severior est probibitio : *numquam.*

(22) REIFFENSTUEL, *in tit. 24 lib. V Decr.*, n. 5-6; SCHMALZGRUEBER, in eumd. tit., n. 4; WERNZ, II, 214, V. Sic ex. gr. episcopus iure prohiberet clericis venationem etiam quietam exercere diebus festis, vel nimis saepe, ita ut a sacro ministerio arcerentur, etc.

(23) *Pro Cluent.*, 63, 178.

(24) *Phil.* 2. 9. 21.

(25) Cfr. ad ex. l. 8 si servitus vindicatur D. (VIII. 5), ubi de *taberna casearia* ab ULPIANO sermo fit.

(26) Quare non assentior Toso scribenti in h. c.: « Iure nostro taberna pro caupona seu taberna vinaria accipitur, *aut quae huic similis sit, ex. c. ubi cerevisia venumdatur* », quia id ex. gr. apud nos ex ipsa praxi videtur permissum.

est intelligendum (can. 6, n. 4). Ad haec addit Barbosa (27): « Minus etiam tabernas habere eis licet: si enim eas ingredi prohibentur, multo magis in his ministrare aliis vetantur », quae certe inter indecoras artes recensenda esset, quas iam vidimus initio canonis clericis prohibitas.

sine necessitate; — necessitas enim non habet legem; sic in itineribus, sine ullius licentia potest clericus tabernas vinarias ingredi.

aut alia iusta causa ab ordinario loci probata, — exsulante scilicet necessitate.

Quod si clerici ab ipso ingressu in tabernas vinarias prohibentur, multo magis evidenter iubentur abstinere, a *crapula et ebrietate*, idest ab excessu in cibis et potu (28). Utrumque enim turpe vitium est, et clericalem statum maxime dedecens. Lex ecclesiastica, utrumque vitium vehementer abhorrens, contra clericos transgressores, si admoniti non abstinerent, statuerat poenam suspensionis ferendae sententiae ab officio vel etiam a beneficio, a superiore ecclesiastico infligendam (29).

CANON 139.

§ 1. *Ea etiam quae, licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.*

§ 2. *Sine apostolico indulto medicinam vel chirurgiam ne exerceant; tabelliones seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant.*

§ 3. *Sine licentia sui Ordinarii ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secumferant onus reddendarum rationum; procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in laicali iudicio criminali,*

---

(27) Loc. cit., n. 74.
(28) c. 14 tit. sup. cit.
(29) c. 14 sup. cit.; Conc. Trid., sess. XXII, c. 1 *de ref.*

gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes.

§ 4. *Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos* deputatos *vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est.*

1. Postquam Codex statuit obligationem negativam, qua clerici tenentur, abstinendi cum ab iis, quae contra morum honestatem sive directe sive indirecte vergunt, tum ab illis, quae ratione status ipsis indecora sunt, in hoc canone agit de obligatione, pariter negativa, qua tenentur abstinere ab iis, quae *a suo statu aliena* sunt.

In prima autem paragrapho canonis ponitur principium generale clericis abstinendum esse non solum ab iis, quae ipsis indecora sunt, sed etiam ab iis, quae ab eorum statu sunt aliena:

§ 1. ***Ea etiam, quae licet non indecora, a clericali tamen statu aliena sunt, vitent.*** — Haec, quae generice tantum in hac prima paragrapho dicuntur, specificantur in tribus paragraphis sequentibus.

2. § 2. ***Sine apostolico indulto,*** — quod aliquando datur, ut factum est a S. Congregatione de Propaganda Fide (1) missionariis, ut medicinam et chirurgiam exercerent, etiam extra casum necessitatis (2), ex peculiaribus quibusdam causis. Haec tamen concessio facta est sub conditione, ut sacerdos missionarius esset peritus in arte medicinae, ut eam gratis exerceret, ut eo loci non adessent medici laici, ut absque incisione et adustione operaretur. Quam ultimam conditionem in rescripto positam, non comprehendere nisi adustionem vel incisionem in casibus, in quibus adsit periculum vitae aut mutilationis membrorum, respondit eadem S. Congregatio (3).

---

(1) Ad missionarios Aethiopiae 28 nov. 1641.

(2) Nam *in casu necessitatis* indultum non requiri patet ex ipsa rei natura et ex praecepto caritatis. S. THOMAS, 2. 2, q. 187, a. 2 in corp., generatim de negotiis secularibus a clericis non gerendis disputans, addit : « causa vero caritatis se negotiis secularibus cum debita moderatione ingerere possunt secundum superioris licentiam in ministrando et dirigendo ».

(3) Decr. 27 iun. 1701. Sed utrum etiam nunc haec urgeant, quum non amplius vigeat irregularitas nisi mors sequatur, dubitant nonnulli.

medicinam vel chirurgiam ne exerceant. — Probatur iam ex cap. 10 *Ne clerici vel monachi*, etc., X. (III. 50), ubi clerici prohibentur studere *physicae*, quae tempore Honorii III significabat praecise medicinam et chirurgiam (4).

3. ***tabelliones seu publicos notarios, nisi in curia ecclesiastica, ne agant.*** — Quinam hi sint, dicemus ad can. 373 (5).

4. ***officia publica, quae exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secumferunt, ne assumant*** (6). — Igitur sine apostolico indulto clericus non potest suscipere munus supremi principis, administri status, consiliarii status, praefecti seu assessoris provinciae aut civitatis, iudicis, promotoris iustitiae seu publici ministerii in curia civili, etc. (7). Haec enim secumferunt exercitium iurisdictionis vel administrationis laicalis. Circa hanc autem ultimam, nota ea, quae habet Chelodi (8): « Administratio autem est vox aequivoca; hic intelligenda est ea, qua cives *reguntur* vi potestatis, quae a modernis vocatur praecise *administrativa* (politica) et ex legislativa profluit ».

5. § 3. ***Sine licentia sui ordinarii,*** — sunt enim haec munia ab ecclesiastico statu aliena, sed *minori gradu* quam superiora, pro quibus ineundis non quidem indultum *apostolicum*, sed licentia ordinarii praescribitur, scilicet ordinarii *sui*, et proinde etiam *regularis*.

---

(4) Prohibitionem hanc iam tulerat Alexander III in Conc. Turonensi contra monachos professos ad hoc e claustris exeuntes. Honorius III eam extendit ad clericos habentes dignitates et personatus et etiam ad presbyteros sub poena excommunicationis latae sententiae, ut iam ab ipso Alexandro lata fuit. Antiquior prohibitio iam habebatur ex Conc. Lateran. II sub Innocentio II. Postea ad omnes clericos ex consuetudine, lege expresse firmata, extensa est. Cfr. c. 19 de homicid. X. (V. 12); S. Congr. Conc. ad vicar. apost. Tonkini 9 febr. 1669; S. Congr. Prop. Fid. 27 iun. 1701; Gasparri, *De sacra ordinat.*, I, 445. Imo nota iam Innocentium III prohibuisse « ne ullam chirurgiae artem subdiaconus, diaconus vel sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducat ». c. 9 tit. cit. X. (III. 50).

(5) Interim cfr. c. 8 tit. cit. X. (III. 50).

(6) Cfr. cc. 4. 5 tit. cit. X. (III. 50).

(7) Cfr. Toso, in h. c.

(8) *Ius de personis*, n. 121.

ne ineant gestiones bonorum ad laicos pertinentium, — ut sunt bona quae alicui *societati* pertinent. Statim autem apparet, his verbis mentem Codicis fuisse renovare prohibitionem a Pio X latam propter multa inconvenientia, quae locum habuerant in huiusmodi gestione a clericis facta. Memoranda sunt ea, quae ipse Pius X scribebat in decreto lato a S. Congr. Consist. 18 nov. 1910: « Quum nostris diebus quamplurima... instituta sint opera in temporale fidelium auxilium, in primisque arcae nummariae, mensae argentariae, rurales, parsimoniales, haec quidem opera magnopere probanda sunt clero, ab eoque fovenda, non ita tamen ut ipsum a suae conditionis et dignitatis officiis abducant, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis, quae his rebus semper inhaerent, obnoxium faciant. Quapropter SS. D. N. Pius PP. X... praesenti decreto prohibet omnino, ne sacri ordinis viri, sive seculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantque suscepta, quae administrationis curas, obligationes, in se recepta pericula secumferant, qualia sunt officia praesidis, moderatoris, a secretis, arcarii, horumque similia » (9).

aut officia secularia, quae secumferant onus reddendarum rationum ; — vetantur proinde clerici assumere gestionem negotiorum laicorum veluti arcarii in aliqua taberna privata aut aliquid huiusmodi.

6. ***procuratoris aut advocati munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili, quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae.*** — Quae huc spectant, dicemus ad can. 1657 § 3 (10).

7. ***in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant.*** — Est antiqua prohibitio, ne clericus exerceat *iudicium sanguinis,*

---

(9) A. A. S., II, 918. Nota, Pium X praescripsisse ad ea munia in posterum recipienda necessariam facultatem *apostolicam*. Codex nunc prima et antiqua necessitate et difficultate iam non urgente, contentus fuit venia *ordinarii*.

(10) cc. 2. 5. tit. cit. X. (III. 50). Interim nota quod antiquo iure vigente prohibitione, ne clericus ageret procuratorem laicorum, si laicus aliquod haberet negotium in tribunali ecclesiastico, clericus tunc potuisset esse eiusdem procurator. Reiffenstuel, in tit. cit., n. 4 ; Pirhing., in eumd. tit., n. 17.

idest sententiam mortis aut mutilationis ferat (12), aut quidquam faciat, quod tendat ad *vindictam sanguinis* (13); imo, saltem antiquo iure, ne adesse quidem poterat exsecutioni sententiae capitalis (14).

ne testimonium quidem... ferentes; — est enim etiam hoc aliquo modo iudicio sanguinis participare, vel saltem suspicionem aliis ingerere, ne partem in condemnationem habuerint.

sine necessitate, — quia id saepe lege civili impositum civibus est, etiam clericis.

8. § 4. ***Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos deputatos vocant, munus ne sollicitent.*** — Prohibentur igitur clerici ante omnia haec munera sollicitare, more secularium, quibus id quidem indulgeri potest, sed clericos certe non decet, qui vocatione sua ad magis sancta destinantur.

neve acceptent, sine licentia S. Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit, — si qui sint.

idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui ordinarii, — secundum ea, quae dicta sunt supra in § 1, ubi imo requireretur indultum apostolicum, quia agitur de assumendo officio publico secumferente exercitium *laicalis iurisdictionis;* tales enim suffragio suo exercent iurisdictionem, quum negotia per maioritatem votorum decidantur. Quare in hoc quod ad senatores et deputatos Codex indulgentius agit.

tum ordinarii loci, in quo electio facienda est, — quia ordinarius localis multa cognoscere potest, quae forte suadere possunt, ne candidato alias forte optimo periculum generetur ex dispersione votorum, qua candidatus forte malus et impius frueretur.

---

(12) c. 3 tit. cit. X. (III. 24) in 6°, ubi etiam sancitur debere et posse clericos, qui alicubi obtinent iurisdictionem temporalem, causas sanguinis laico delegare, metu irregularitatis cessante.

(13) cc. 5, 9 tit. cit. X. (III. 50). Cfr. responsum S. Congr. Concilii 19 ian. 1686.

(14) c. 9 tit. cit. X (III.) 50); Reiffenstuel, in eumd. tit., nn. 12, 21. Attamen nota, alios (Gonzalez, in eumd. tit.; etc.) putare prohibitionem interessendi exsecutioni sententiae capitalis spectare tantum praesentiam *auctoritative* factam. Sed de his plenius postea.

CANON 140.

Spectaculis, choreis et pompis quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.

Clericis interdicitur etiam interesse spectaculis publicis et pompis, quae, ut explicat *Glossa*, vel sint obscoena et turpia aut depravationis periculum contineant, vel quibus clericos interesse aliis scandalo sit (1). Talia certe sunt *choreae* et his similia (2).

CANON 141.

§ 1. *Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant.*

§ 2. *Clericus minor qui contra praescriptum* § 1 *sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.*

1. § 1. Clericus *quilibet*, multo autem magis si in sacris sit vel beneficiatus, militem agere non debet, idque expresse prohibebatur a iure (1), nisi gravissima necessitas publica id requireret (2); nec guberniis civilibus licet eos ad militiam agendam compellere (3). Quare clericus semper prohibetur militiam ca-

---

(1) Cfr. Barbosa, *Iur. eccl.univ.*, lib. I, c. 40, n. 59. Hinc S. Poenitentiaria die 19 sept. 1893 declaravit: non licere sacerdoti adesse spectaculo, quod in Hispania maxime est celebre, luctae videlicet cum tauris seu agitationis taurorum (*corrida de toros*). Pius V Const. « De salute » 1 nov. 1567 huiusmodi ludos prohibuit decernens poenam excommunicationis contra auctoritates civiles, quae eos permitterent et contra clericos sive seculares sive regulares, qui iis assisterent. Gregorius XIII Const. « Exponi nobis » 25 aug. 1575 has poenas sustulit pro laicis et fratribus militibus, qui non haberent ordines sacros. Clemens VII Constit. 13 ian. 1596 sustulit has omnes poenas etiam pro clericis secularibus, his spectaculis assistentibus, quamvis eos maxime hortetur ne iisdem adsint. Constitutio « Apostolicae Sedis » de hac excommunicatione silet omnino, quare ea evanuit etiam pro regularibus.

(2) Cfr. Conc. Trid., sess. XXIV, c. 1 *de ref.*

(1) c. 1, dist. LI; c. 9 ne clerici vel monachi, etc., X. (III. 50); c. 5 de poenis X. (V. 37).

(2) c. 2 de immunitate, etc., X. (III. 49).

(3) Cfr. *propositionem* 32 damnatam in *Syllabo* Pii IX. At nostra aetate, qua ab atheis guberniis pleraeque divinae et ecclesiasticae leges subvertuntur et negliguntur, necesse saepe est et clericis stipendia agere pro certo tempore.

pessere voluntarius, nisi quando id faciat, ut citius liber evadat, de licentia ordinarii sui.

2. ***neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant.*** — Diximus clericos non debere se negotiis secularibus immiscere, quod multo magis intelligendum est, ne clerici intestinis bellis et politicis contentionibus utcumque opem ferant, aut iis sese immisceant. Ad quod praecavendum iam LEO XIII, litteris per S. Congr. Concilii 12 iulii 1900 datis, statuerat : « ut in posterum quisquis ex clero, ut intestinis bellis et politicis contentionibus opem utcumque ferat, proprium residentiae locum absque iusta causa, quae a legitima ecclesiastica auctoritate recognita sit, deseruerit, vel clericales vestes exuerit, quamvis arma non sumpserit et humanum sanguinem minime fuderit, et eo magis qui in civili bello sponte sua nomen militiae dederit, aut bellicas actiones quomodocumque dirigere praesumpserit, etsi ecclesiasticum habitum retinere pergat ; ab ordinum et graduum exercitio et a quolibet ecclesiastico beneficio suspensus illico et ipso facto maneat ; et inhabilis praeterea fiat ad quaelibet officia aut beneficia ecclesiastica in posterum assequenda, donec ab Apostolica Sede restitutus non fuerit, sublata ad hunc effectum respectivis dioecesium ordinariis qualibet dispensandi potestate, etiamsi amplissimis sive solitis, ut vocant, sive extraordinariis facultatibus rehabilitandi clericos gaudeant ».

3. § 2. ***Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit.*** — Est novus casus clerici *minoris*, qui, partim ex praesumpta voluntate, partim in poenam violati iuris, reducitur ipso iure ad statum laicalem, ut iam factum vidimus in can. 132 § 3 et in can. 136 § 3. Dixi *in poenam violati iuris;* nam ius est Ecclesiae, quod clericus proinde revereri debet, ut diximus in apposito *Excursu* ad can. 121, ne clerici deturbentur a suo ministerio, etiam nomine servitii militaris agendi in bonum patriae, quod aliis modis curare ipsi debent, generaliter loquendo.

CANON 142.

Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

1. Inter ea, quae clericis sunt prohibita, quia aliena sunt ab occupationibus proprii status, annumeranda est etiam *negotiatio*, quae imo inter haec principalem tenet locum. Negotiatio alia est propria, alia impropria. *Proprie dicta* negotiatio consistit in habitu (1) emendi res fungibiles aut etiam non fungibiles mobiles, ut carius sub eadem forma vendantur (2); *impropria* negotiatio tunc habetur, quum aliquid emitur, ut postea per industriam et laborem immutatum vendatur (3). Dicitur autem et est negotiatio *lucrativa*, quae alia est a *naturali et necessaria*, ut docet S. THOMAS (4), et definiri potest: « rerum pro rebus aut pro pecunia commutatio ordinata ad lucrum ». Prima igitur negotiatio laudabilis est, « quia deservit naturali necessitati... Secunda autem iuste vituperatur, quia quantum est de se deservit cupiditati lucri, quae terminum nescit sed in infinitum tendit. Et ideo negotiatio secundum se considerata quamdam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione finem honestum vel necessarium. Lucrum tamen quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importat aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium; unde

---

(1) In *habitu*, inquam; quare si quis clericus iterum aut bis negotiationem etiam proprie dictam et prohibitam exerceat, nec graviter peccat (CROIX, III, 2, 1004; SALMANTICENSES, *Theol. moral.*, 14, 2, 38; BARBOSA, *Iur. eccles. univ.*, I, 40, 120; D'ANNIBALE, III, 156), nec vere est negotiator in sensu iuris quod ad hanc prohibitionem et quod ad poenas incurrendas.

(2) SANTI, *Praelect. iur. can.*, III, 50, n. 3. Nota autem *emptionis* et *venditionis* nominibus venire hic etiam *permutationes*. Cfr. LESSIUM, *De iust. et iure*, II, 2, 21, 4; LUGO, *De iust. et iure*, disp. 26, 221; 28, 20; BALLERINI-PALMIERI, III, 821; D'ANNIBALE, III, 155, REIFFENSTUEL, III, 1, 31. Ex his deduces cum BALLERINI-PALMIERI, III, 822, ad negotiationem proprie dictam requiri; *a*) ut res *ematur et vendatur; b*) ut vendatur *non mutata; c*) ut vendatur *carius; d*) et empta sit *ut* carius immutata vendatur.

(3) MOLINA, *De iust. et iure*, d. 339, n. 2; SANTI, loc. cit.; WERNZ, 2, 216.

(4) 2. 2, q. 77, a. 4 c.

nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel etiam honestum ; et sic negotiatio licita redditur ; sicut quum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem vel etiam ad subveniendum indigentibus ; vel etiam quum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriae desint ; et lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium laboris » (5).

2. ***Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere.*** — Negotiatio *proprie dicta* clericis omnibus, etiam minorum ordinum (6), est absolute interdicta (7) ; contractus tamen, quos clericus legem hanc infringens faceret, sunt validi (8). Negotiatio haec antiquo iure prohibita erat sub poena excommunicationis (9), suspensionis (10), et degradationis (11) ; quae poenae erant ferendae sententiae (12). Praeterea clerici seculares negotiationibus intendentes ipso facto amittebant privilegium clericale quod ad bona, seu ius immunitatis a tributis, vectigalibus etc. (13). Tandem quae clerici illicita negotiatione acquisiissent, post eorum obitum spectabant tamquam spolia ad Cameram Apostolicam (14).

---

(5) Loc. cit. Et sic quamvis conveniat in notione generica negotiationis, quae in hoc consistit, quod sit emptio rerum ac, nulla in eis mutatione facta, subsequens earumdem venditio lucri causa, differt in conceptu specifico a negotiatione *oeconomica* et *politica*, quae est eorum qui de una familia sunt (intelligendo hoc nomen latissime), ut si quando praelatus vel oeconomus religiosus (cfr. can. 532, § 2) res emptas pro sua communitate quum superfluunt qualibet ex causa, ne pereant, vendunt pretio etiam maiore, cum lucro. Id autem licite fit, dummodo tamen id non transeat in palliatam negotiationem.

(6) Fagnanus, *in c.* 1 *tit.* 50, *lib. III Decr.*, n. 83; Schmalzgrueber, *in eumd. tit.*, n. 25. Attamen Lehmkuhl, II, 611, contrarium putat.

(7) c. 2, dist. LXXXVIII ; c. 4, dist. CXI ; c. 6, tit. cit., X. (III. 50); Conc. Trident., sess. XXII, c. 1, *de ref.* Et non solum de bonis suis, sed etiam de alienis, ex. gr. de bonis personae moralis, quae in administrationem habeat.

(8) Ballerini-Palmieri, IV, 460.

(9) c. 6, tit. cit. X. (III. 50).

(10) c. 2, dist. LXXXVIII.

(11) c. 4, dist. LXXXI. Hae omnes poenae a Tridentino, loc. cit., confirmatae sunt.

(12) Molina, loc. cit., disp. 342, n. 2. Excipitur excommunicatio lata a Clemente IX et confirmata a Pio IX, de qua postea.

(13) c. 16, tit. cit., X. (III. 1); cfr. c. 4, de censibus (III. 20) in 6°. Nota autem, privilegium hoc amitti quod ad lucra illicita sic percepta; post trinam admonitionem episcopi quod ad alia. *Thes. de poenis* v. « Negotiatio », n. 2.

(14) Pius IV Const. « Deus », 3 nov. 1560.

sive in propriam sive in aliorum utilitatem.— Circa quod sequentia nota. Censuerunt communiter antiqui doctores non esse illicitum clericis negotiari in *necessitate* sua vel suorum (15), quae probabiliter esset necessitas gravis ad statum decentem (16). Attamen CLEMENS XIII Const. « Cum primum » 27 sept. 1759, ad praecavendos abusus, voluit, ut vel necessitate exsistente pro sua suorumve sustentatione, negotiatio non susciperetur sine dispensatione Sedis Apostolicae intra Italiam aut episcopi extra Italiam. Negotiatio *per alios*, secundum antiquos canonistas, non erat prohibita (17). Speciale aliquid quod ad negotiationem statutum est relate ad *missionarios*(18).

---

(15) S. THOMAS, 2, 2, q. 77, a. 4, ad 3 ; CASTROPALAUS, *Theol. moral.*, tr. 16, disp. 4, p. 13, § 3, n. 80; S. ALPHONSUS, III, 837; D'ANNIBALE, III, 156.

(16) SPORER, *Theol. moral.*, tract. VI, c. 5, n. 102. Diximus: « necessitas gravis ad statum decentem », videlicet si secus clericus cum sua familia commode non posset sustentari, non autem tantummodo si secus clericus vitam ipsam sustentare non posset. Arg. c. 1, tit. cit., X. (III. 50).

(17) MOLINA, *De iust. et iure*, tom. 2, disp. 342; n. 10; LESSIUS, *De iust. et iure*, lib. 2, c. 21, dib. 1, n. 6; DIANA, *Resol.*, 72, vers. *Sed tota difficultas.* — At BENEDICTUS XIV, Const. « Apostolicae » 25 febr. 1741, etiam ab hoc modo negotiationis clericos prohibuit, imo statuit, ut si negotia a laicis incepta ad clericos deferrentur quovis titulo, puta hereditatis, dimitterentur statim, si fieri posset, si autem sine detrimento id non posset fieri, ea negotia ad tempus per laicam personam pertractarentur, expetita facultate S. Congr. Concilii intra Italiam vel episcopi extra Italiam. Hanc prohibitionem BENEDICTI XIV confirmavit CLEMENS XIII Const. cit. 27 sept. 1759, idemque simul prohibuit, ne clerici per alios etiam exercerent cambium activum seu partes campsoris agerent.

(18) Videlicet *missionarii* omnes (idest tum regulares tum seculares, tum europaei, tum non europaei, scilicet quicumque ecclesiastici viri, qui sub nomine missionariorum aut quovis alio titulo pro tempore missi fuerint aut in dictis partibus quomodolibet morarentur, ut declaravit S. Off. 17 ian. 1883) in Indiis orientalibus (etiam in Sinis, ut constat ex decreto S. Off. supra citato) et in partibus Americae tam australibus quam septemtrionalibus, qui per se vel per alios darent operam, etiam semel, negotiationi, incurrebant excommunicationem latae sententiae, praeter alias poenas privationis vocis activae et passivae, etc., a qua absolvi a nemine possent, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris prius restitutis, idest traditis locorum ordinariis seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, aut officialibus vel apostolicis vicariis seu provicariis. Iisdem poenis excommunicationis, etc., tenebantur superiores immediati ac provinciales et generales regulares huius criminis rei, qui suum subditum in praemissis etiam pro unica vice quomodolibet delinquentem saltem per eius remotionem a loco commissi debiti non punissent (Const. URBANI VIII « Ex debito » 22 febr. 1633; Const. CLEMENTIS IX « Sollicitudo » 17 iun. 1669). Et hae prohibitiones URBANI VIII et CLEMENTIS IX adhuc vigebant post Const. « Apostolicae Sedis », etiam quod ad censuram, prout declaraverat S. Off., 4 dec. 1872 et S. C. Prop. Fid. 29 mart. 1873.

3. Quod ad negotiationem *improprie dictam* generaliter dicendum, eam per se clericis non prohiberi (19). Attamen prohibetur aliquando ratione modi, quo exercetur. Saepe enim modus, quo haec negotiatio exercetur non minus clericos avocat a suo ministerio, quam negotiatio proprie dicta (20).

4. Huc revocanda est quaestio nostrae huic aetati maxime propria quippe quae respicit modum usitatissimum, quo fructifera redditur pecunia; utrum nempe liceat clericis, sicut et laicis licet, pecuniam investire, ut dicunt, in actionibus et obligationibus societatum seu mensarum nummariarum. Si enim in hoc habetur vera et proprie dicta negotiatio, patet id esse prohibitum clericis, secus si in hoc nulla vera negotiatio reperitur. De hac quaestione aliquid dicemus statim in apposito *Excursu*.

EXCURSUS ad can. 142.

Utrum clericis liceat pecuniam investire in actionibus aut obligationibus mensarum nummariarum.

1. Societas est conventio plurium contribuendi ad commune lucrum vel usum (1); vel etiam: conventio duorum pluriumve ad conferendum aliquid in usum vel quaestum communem con-

---

(19) S. Thomas, 2. 2, q. 77, a. 4 ad 1; Reiffenstuel, *In tit.* 1, *lib. III Decr.*, n. 132; S. Congr. Conc., 20 nov. 1820; Ferraris, *Prompta bibl.*, v. « Clemens », a. 3.

(20) Hinc est, quod clericis non licet, aut saltem non licebat iure antiquo, publicam officinam argentariam aut huiusmodi tenere (Ballerini-Palmieri, IV, 472), licet permissum esset horologium a se artefactum vendere. Quare clericis est interdictum res emptas et per operarios conductos mutatas vendere carius, ex. gr. uvas emere ut ex illis factum vinum postea venderetur carius. Hoc enim vix a negotiatione proprie dicta distat. Wernz, II, 219, III. Cfr. etiam D'Annibale, III, 155 (9), qui rem totam pulchre, more suo, sic explicat: « Aliud igitur iuris est in his, quae vel 1° *naturaliter* vel 2° *tuis* operis aut industria mutata sunt. Quamobrem licet ex 1° mustum emere, ut vinum factum, oves, sues, etc., ut postea saginatos vendas (Less. II, 216; Lugo de iust., XXVI, 34, 29): saginatos, inquam, sive ex tuis pascuis sive ex fructibus emptis in foro (S. Alph., III, 835), vel ex agris alienis; nullo enim iure sic emere, sed agros conducere vetitum est. Ex 2° licet vendere ex panno vel ligno emptis confectum *a te* vestimentum *aut* vas (Ben. XIV, de syn. X, 6, 2) ». Quare tamquam generale principium in hac materia negotiationis impropriae retinendum videtur, non posse clericos res coemptas carius vendere, postquam non sua sed operariorum conductorum opera in alias immutatae sint (Sanguineti, *Iuris eccl., inst.*, n. 207, 1).

(1) Lugo, *De iustitia et iure*, disp. XXX, n. 1.

tracta (2) ; vel distinctius : contractus, quo duo vel plures simul conveniunt, ut aliquid in commune ponant divisuri ex aequo emolumentum, quod inde habebitur (3). Unaquaeque autem societas industria exercenda, est *industrialis* (4).

Societates autem lucrativae, sive sint negotiatoriae sive industriales, tripliciter ex *Codice commerciali italico* (5) dispescuntur. Habentur enim societates, quae sociorum collectivo nomine ineuntur, seu societates collectivae ; societates accomanditariae (*in accomandita*) et societates anonymae.

Societates collectivae eae sunt, in quibus omnes socii in solidum et illimitate respondent de obligationibus socialibus.

Societates accomanditariae eae sunt, in quibus unus vel plures socii *accomanditarii* respondent in solidum et illimitate de obligationibus socialibus et unus vel plures socii *accommandantes* respondent de certa pecuniae vi, quae etiam in *actionibus* collocari potest.

Societates anonymae eae sunt, in quibus sociales obligationes tantum assumuntur sub limite certae pecuniae, et socius quisque non tenetur praeter suam quotam aut actionem.

Societates collectivae, vel societates accomanditariae nomen habent sociale (*la ditta sociale*) sub quo exsistunt ; societates vero anonymae nomine sociali carent, sed speciali distinguuntur denominatione, quae ex earum obiecto seu fine desumitur et debet esse distincta a denominatione cuiusque alterius societatis (6). Huiusmodi sunt societas ad vias ferreas, societas crediti fundiarii vel mobiliaris, etc.

Semel saltem in anno conventus generalis cogitur (7) ; omnes quidem socii vel actionarii ius habent ut eidem intersint, nemo tamen eidem interesse cogitur.

2. Locuti sumus de sociis seu actionariis. Hinc aliquid dicendum de actionibus et de earum discrimine ab obligationibus.

---

(2) Lessius, *De iust. et iure*, II, c. 25, n. 1.
(3) *Cod. civ. ital.*, art. 1697.
(4) Patet nos hic agere de societatibus *ad lucrum* et praescindere a societatibus, quae alium finem prosequuntur. Nam habemus etiam societates religiosas et civiles non lucratorias; sed de hoc latiori sensu societatis non est hic locus dicendi. Confer ea, quae de hoc dicuntur in iure publico.
(5) Art. 76.
(6) Ibid., art. 77.
(7) Ibid., art. 154.

Actiones igitur sunt tituli sociorum, quibus nempe aliquis aliquam pecuniae vim contribuendo, societatem cum aliis actionariis constituit, efformando cum his, sua contributione, capitale sociale. Omnes huiusmodi actiones eiusdem valoris esse debent (8). Distinguuntur autem in *nominativas* (*nominative* vel *nominali*) et *ad ferentem* (*al portatore*). Actiones nominativae eae sunt, quae actionarii nomini inscribuntur in societatis regesto. Actionarius potest quidem has actiones alteri cedere, sed haec cessio facienda est per declarationem eidem regesto apponendam et subscribendam a cedente et a cessionario vel ab eorum mandatariis (9). Actiones vero ad ferentem, quae vocantur, eae sunt, quae nemini inscribuntur, earumque proprietas transfertur de uno in alium per simplicem tituli traditionem (10).

Ab actionibus differunt quam maxime *obligationes*. Hae autem sunt tituli, qui illis conceduntur, qui societati iam constitutae et pecuniis indigenti pecuniam mutuo tradunt. Aliis verbis obligationes non sunt nisi attestationes pecuniae acceptae et recognitiones debiti, quo exinde obstringitur societas erga illum, qui pecuniam solvit, cui per obligationes ad solvendum suum debitum sese astringit.

Qui obligationes societatis alicuius accipit, non evadit exinde membrum societatis, sed creditor erga ipsam ; quare nullum habet ius ad fruendum emolumentis societatis, seu, ut dicunt, nullam habet partem in *dividendo* societatis (11), sed tantum ius habet ad interesse, quod pactum est, sortis quam mutuo dedit.

3. His praemissis, quae necessaria erant ad intelligendum statum quaestionis, ut eo redeamus unde initium sumpsimus, idest ut statuamus quid clericis liceat quid non liceat, relate ad actiones et obligationes harum societatum, haec notanda sunt :

a) Certum est non posse emi actiones et obligationes huiusmodi ut carius vendantur ; quia in hoc habetur vere et proprie dicta negotiatio.

b) Certum quoque est, posse clericum accipere obligationes harum societatum, non ut postea carius eas vendat, sed ut ex sua

---

(8) *Cod. com. it.*, art. 164.
(9) *Cod. com. it.*, art. 140, 1°; art. 169.
(10) *Cod. com. it.*, art. 165, 169.
(11) *Dividendum* societatis computatur, detractis obligationibus, hae enim constituunt debitum societatis.

pecunia moderatum lucrum referat ; licet enim clericis mutuo dare pecuniam suam.

c) Quaestio est, an liceat clericis actiones societatum emere, ut eas penes se retineant ad dividendum lucrum, quod ab actione et exercitio societatis speratur, et quod actionariis seu sociis aequis partibus pro rata actionum distribuendum est. Sunt enim theologi et canonistae, qui hoc licere absolute negant (12) ; sunt qui affirmant (13). Hac in re duplex quaedam distinctio adhiberi solet. Prior est, quae respicit statum societatis, de qua agitur, utrum nempe quaestio sit de societate ipsa constituenda, an potius de societate iam constituta. Altera est quae respicit scopum societatis, de qua agitur, utrum nempe ea sit vere commercialis an industrialis tantum. Volunt igitur nonnulli prohiberi clericis accipere actiones societatis vere negotiatoriae seu commercialis, quia, dicunt, societas negotiatur, societas autem non sunt nisi socii, ergo et socii idest actionarii negotiantur ; quod verum est etiamsi clerici actionarii comitiis societatis non intersint nec ullo modo sese immisceant administrationi societatis, nam semper verum est eos negotiari, quamvis per alios.

At Bouix (14) et cum eo alii, ut Sanguineti, reponunt veros negotiatores eos esse, qui aliquid agunt quod ad negotiationem societatis, nempe eos qui negotiationem societatis vel directe exercent vel saltem dirigunt. Nam quum negotiari importet aliquam actionem, is non potest dici negotiari, qui nihil facit. Quare clericus qui has accipit actiones, dummodo in administratione non se ingerat, nullo modo negotiari, dicendus est, neque per se, quia negotiationem ipse directe non exercet, neque per alium, quia negotiationem aliorum ne dirigit quidem.

Distinctio autem illa inter societatem constituendam et constitutam ideo ab aliquibus inducta est, quia videbatur ipsis maior praeseferri lucri cupiditas in eo qui societatem constituit, quam in eo qui constitutam societatem ingreditur ; et quia socie-

---

(12) Lehmkuhl, II, 612 ; Scavini, II, 611, edit. 11 (attamen, quod ad hunc auctorem vide etiam, I, 586); Wernz (saltem ex parte), loc. cit., II, 219, III scholion.

(13) Sanguineti, loc. cit., scholion post n. 207; Auctor pract. canon. S. Sulpitii tom. II, p. 1 et 2, n. 355; Bouix, nov. 1860 ap. *Revue des Sciences ecclésiastiques*, tom. 2.

(14) Loc. cit.

tatem constituere vere est negotiari, constitutam societatem ingredi a prohibita negotiatione excusari. Verum hoc discrimen in statu societatis non immutat naturam societatis (15), et aequalem videtur actionem ponere ille qui pecuniam suam confert societati constitutae, ac ille qui eam dat societati constituendae. Idem dicendum videtur de cupiditate lucri, quae eadem est in utroque.

Alii distinguebant, uti vidimus, inter societates vere negotiatorias et commerciales et societates industriales, quia videbatur ipsis nomen dare societatibus industrialibus clericis non esse illicitum (16), etiamsi non liceret ipsis ingredi societates commerciales. Industria enim est negotiatio minus proprie dicta, quae clericis licet. Sed, ut bene annotat BALLERINI-PALMIERI (17) cum aliis (18), quando aliquis ad artificium seu ad industriam obtinendam non sua sed aliena opera utitur, hoc reincidit in negotiationem prohibitam, ut supra advertimus. Quare vel clericis licet actiones accipere tum societatum commercialium cum industrialium, vel nullas.

4. Hae sunt rationes variae, quae a doctoribus pro diversis sententiis afferuntur. Quare res adhuc est in quaestione. Et haec quaestio ne definiri quidem potest categorice decretis Romanarum Congregationum. Nam quae afferuntur decreta nullo modo rem dirimere videntur, verum et particulares casus concernunt, et principia ipsa quaestionis non attingunt. Si quando enim his decretis conceditur gratia, ut clerici possint actiones has emere, non exinde concludi recte potest clericis sine hac concessione idipsum non licere. Scimus enim Sanctam Sedem solitam pluries fuisse gratiam aliquam petentibus concedere, quamvis ea gratia per se non indigerent, certo saltem. Id enim fit, tum ut quaestio, si qua est, non dirimatur authentico iudicio (solet enim S. Sedes ad quaestiones dirimendas caute admodum et matura consideratione procedere), cum ut consulatur quieti et tranquillitati conscientiae petentium (19). Imo his responsionibus Sacrarum Ro-

(15) Cfr. VILLADA, *Casus conscientiae*, III, pag. 66 sqq.
(16) VILLADA, loc. cit.
(17) IV, 477.
(18) SANGUINETI, loc. cit.
(19) Sic, ex. gr., tuta est et vere probabilis, auctoritate saltem extrinseca, doctorum sententia, quae docet posse clericum quolibet anni tempore incipere recitationem matutini diei sequentis hora secunda a meridie diei praecedentis. Et tamen petentibus gratia conceditur, ut idipsum peragere valeant. Hoc idem de aliis multis dici potest.

manarum Congregationum pro affirmativa potius parte concludere licet. Non enim videtur S. Sedes concessura fuisse clericis id quod statum clericalem dedeceat (20).

Unum est responsum S. C. EE. et RR. 30 ianuarii 1846, quod refertur a Bizzarri in *Collectanea* p. 530; nempe quaesito: « An liceat clericis promotis ad sacros ordines vel beneficia possidentibus acquirere actiones societatis accomanditariae Civitatis Castelli », S. C. respondit : « Non licere ». Sed animadvertit Sanguineti (21), cui adhaeret Ballerini-Palmieri (22), ibi sermonem esse de societate constituenda, non constituta ; consultius autem esse ut clerici a societatibus constituendis abstineant.

---

(20) Responsa haec SS. RR. CC. sunt sequentia: Primum est id quod S. Off. die 1 apr. 1857 respondit ad dubium: « Utrum liceat ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere lucrumque ex eis proveniens accipere ». Responsum est: « Sanctissimus concedit facultates Episcopis, communicandas per S. Congr. Episcoporum, permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones viae ferreae de propria pecunia tantum ». Alterum est id quod S. Congr. Conc. respondit ad has preces sibi porrectas: « Beatissime Pater. A et B, sacerdotes dioecesis C, humiliter exponunt ex hereditate patrum consequutos se fuisse in diversis societatibus commercialibus, industrialibus vel cambiariis, etc., actiones, quarum valor 60.000 francos fere attingit. Quum autem clericis per sacros canones prohibeatur, ne similes actiones conservent (ubinam oratores invenerint hos canones certo hoc prohibentes, nescimus), humiliter supplicant S. V. ut cum ipsis hac in lege benigne dispensare dignetur ob sequentes rationes: 1° mens oratoribus est, illarum actionum reditus annuos bonis impendere operibus; 2° quod si illas actiones in obligationes converterent, singulis annis ad minus tertiae fructuum partis iacturam subire deberent; 3° ceteroquin oratores comitiis actionariorum numquam intersunt nec intererunt; 4° tandem praedictae societates solide fundatae videntur, et si forte in ruinam abirent, inde tamen non totum oratorum patrimonium absumeretur ». « Die 6 iulii 1885. SS. D. N. audita relatione Episcopi C. et infrascripti Secretarii S. Congr. Conc., *attentisque peculiaribus circumstantiis*, suprascriptas preces benigne remisit eidem Episcopo cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ut, veris existentibus narratis, *ad quinquennium tantum*, super ipsis precibus gratis gerat, statuat atque decernat quidquid pro suo arbitrio et conscientia magis in Domino expedire iudicaverit ». Tertium est responsum, quod refertur ex periodico *Nouv. Revue théol.*, t. 25, p. 604, a Ballerini-Palmieri, IV, 478, ex S. Off. 15 apr. 1885; « Iuxta exposita et attentis peculiaribus temporis circumstantiis, personas ecclesiasticas non esse inquietandas, si emerint aut emant actiones seu titulos mensae nummulariae, dummodo paratae sint stare mandatis S. Sedis et abstineant a qualibet negotiatione dictorum titulorum et praesertim ab omni contractu, qui speciem habeat, ut vulgo dicitur, *dei giuochi di borsa* ». Alias etiam, dicit D'Annibale, III, 157 (18), die 17 nov. 1875 S. O. respondisse fertur: « non esse inquietandos, dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiae, et nullum habeant illicitum lucrum, et ipsi (ecclesiastici) nullam administrationis partem suscipiant ».

(21) Loc. cit.

(22) Loc. cit.

CANON. 143.

Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant.

Praescriptio canonis clara est, et fluit ex notis principiis. Clericus ordinatur, ut ministerium in dioecesi exerceat : ad hoc autem in ea manere debet habitualiter. Quare, etsi novo titulo beneficii aut officii residentialis non obligetur strictiori quadam residentia, quae eum obliget etiam ad residendum non tantum in dioecesi, sed etiam in certo loco dioecesis ; qua tamen clericus est, in dioecesi debet residere. Hinc discedere ab ea non debet, non quidem transeunter et ad aliquos tantum dies, sed *per notabile tempus*, quod certe videtur excedere posse tempus vacationis concessum iis, qui residentiale beneficium in dioecesi habent (1), sine licentia ordinarii. Haec autem licentia etiam *praesumpta* sufficit. Quae omnia afficiunt clericum qua clericus est, praescindendo omnino a strictiore obligatione, quam habeat ratione officii suscepti aut habiti beneficii (2).

Et hinc est, quod S. Congr. Concilii pluries de his clericis illegitime e dioecesi abeuntibus declaravit, posse eos ordinarium etiam per impositionem censurae reducere, quamvis nullius ecclesiae speciali servitio addicti sint (3).

---

(1) Vermeersch-Creusen, 207, concedentes tres menses contra Maroto, I, 556, restringentem hoc spatium ad unum mensem. Concordat Chelodi, *Ius de personis*, I, 115.

(2) Quare nimium videtur illud, quod habet Chelodi, loc. cit.: « Notabilis *evolutio* conceptus obedientiae canonicae perfecta est his ultimis decenniis. Antiquiores doctores et iurisprudentia S. Congr. defendebant *libertatem* clerici, praesertim ordinati titulo patrimonii, transeundi ab una in alteram dioecesim et non suscipiendi officium vel beneficium ab episcopo oblatum. Cum autem, novis temporibus, imminutus numerus ministrorum et auctae in dies necessitates pastorales postularent ut omnes clerici episcopo praesto essent, recentior iurisprudentia ambitum obedientiae canonicae ita ampliavit, ut utraque illa libertas tolleretur. Quod nunc in C. confirmatur ». Et confer, praeter ea quae hic dicuntur, ea quae supra dicta sunt ad can. 128.

(3) In *Nucerina* 19 sept. 1818; 26 ian. 1833, et alias pluries.

CANON 144.

Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest, iusta de causa et naturali aequitate servata : et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex iusta causa eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit.

1. Canon duas habet partes. In prima agitur de clerico, qui cum licentia sui ordinarii ad aliam diœcesim transierit, suae manens incardinatus.

Qui cum licentia sui ordinarii ad aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus. — Is manet subditus suo ordinario ratione *perseverantis* incardinationis. Casus est alius ab eo, de quo in superiore canone actum est. In eo agitur de clerico discedente ad tempus et statim post expletum negotium aut vacationes peractas reversuro ; in hoc, de clerico *transeunte*, ac proinde interim fovente intentionem non redeundi, ad vitam igitur in alia dioecesi ducendam. Porro de eo dicitur :

revocari potest — ad ministerium suum in dioecesis bonum exercendum, et etiam, si forte in peculiari casu rationes positivae dentur ad timendum, ne hoc modo quaerat se subducere a vigilantia auctoritatis ecclesiasticae, non valente ordinario proprio eam exercere, nec forte volente ordinario loci commorationis, qui de extraneis clericis parum curet.

iusta de causa, — scilicet si abeuntis clerici ministerium necessarium vel valde utile sit ecclesiae suae; supponitur enim clericus alibi morari de licentia sui ordinarii, qui proinde immerito sine iusta causa datam licentiam revocaret.

et naturali aequitate servata ; — non solum enim iustam causam habere debet ordinarius ad revocandam licentiam datam, sed etiam cavere, ne exinde damnum immineat clerico non spernendum, ut, ex. gr., valetudinis, bonae famae aut rei pecuniariae. Quare pluries S. Congr. Concilii edixit,

ordinarium posse quidem sacerdotem alicui ecclesiae dioecesis ascriptum revocare, si absit, sed sacerdoti redeunti debere assignare officium vel beneficium, unde congruam sustentationem accipiat (1).

2. Altera pars agit vicissim de ordinario, qui clericum in suam dioecesim excepit. Is — ***potest ex iusta causa,*** — non ex arbitrio, neque ex eo tantum, quod alienae dioecesis est, sed quia scandalo ibi est vel suspicionem malitiae incurrit, vel ex causa simili, — ***eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio,*** — et proinde iubere, ut ad sua redeat, — ***nisi beneficium eidem contulerit.*** — Quae collatio vel est beneficii *residentialis*, et tunc habetur tacita seu implicita incardinatio, ratione cuius non potest ordinarius clericum a dioecesi dimittere; vel agitur de beneficio *non residentiali*, et tunc, nulla exsistente iusta causa, ut in canone expresse supponitur, id ordinarius non potest, quia non est aequum, clericum e dioecesi expellere, qui nihil fecerit ut beneficii privationem incurrerit aut ea dignus evaserit. Et in hoc casu ordinarius prius deberet ad privationem devenire eamque sententia condemnatoria sive declaratoria infligere, et postea clerico beneficio privato denegare ulteriorem commorationem in dioecesi.

---

(1) Cfr. in *Amerina* 17 iul. 1756, in *Nucerina* 19 sept. 1818, apud Lucidi, *De visit. ss. liminum*, II, 9, 34.

INDEX ANALYTICUS

Nota. Primus numerus indicat canonem, secundus et sequentes paragraphum commentarii, vel, si sit intra parenthesim, eius notam.

pr. = prooemium pag. 1-2.
exc. ad..... = excursus ad canonem.....

Abbates nullius annulum deferre possunt, 136,6. — an sint praelati, exc. ad 110. — quod ad privilegium fori, 120,5.

Abbatissa, quod ad iurisdictionem ecclesiasticam, exc. 1 ad 118.

Actio personalis, realis, 120,3.

"Actiones,, mensarum nummariarum, exc. ad 142,2.

Actus quando sit inexsistens, nullus, rescindibilis, 132, (11).

Administratio bonorum laicalium clericis prohibita, 139,5.

Advocati munus an exercere possint clerici, 139,6.

Aetas minor an excuset a poena lata inferentes iniuriam clericis 119,5.

Aleatorius ludus, v. **Ludus.**

Annulum quinam clerici deferre possint, 136,6.

Arma quando gestari possint a clericis, 138,4.

Artes indecorae non exercendae a clericis, 138,7.

Ascriptio clericorum alicui dioecesi vel religioni, 111-117.

Barbam deferendi usus apud clericos, 136,5.

Bellis intestinis opem ferre nequeunt clerici, 141,2.

Beneficia ecclesiastica laicis non concedenda, 118. — In eorum collatione attendi debent examina de scientiis sacris, 130,3. — *residentialia* quando incardinationem constituant, 114. — concessa clericis alienae dioecesis, 144,2.

Bona laicalia a clericis non administranda, 139,5.

Breviarium recitandum a clericis maioribus, 135,2.3 ; quotidie et integre, 135,4 ; lingua latina, 135,8. — Eius recitationis historica evolutio 135,1. — Quinam escusentur ab eo recitando, 135,3.8. (39). — Quinam ab eius recitatione dispensare possit, 135,8.

Caelibatus clericis maioribus impositum, 132; et quomodo in ecclesia orientali, 132, (13); exc. ad 132,4. — *clericorum*: Eius origo, exc. ad 132,1.2; evolutio historica, exc. ad 132,6.7.8; impugnatores et defensores, exc. ad 132.

Calendarium pro recitatione breviarii, 133, (24).

Capillorum cultus simplex a clericis adhibendus, 136,4.

Capitis rasio an in usu antiquitus fuerit apud clericos, 136,5.

Cardinales, quod ad privilegium fori, 120,5. — an annulum deferre possint, 136,(34).

Castitas a clericis servanda, 132,2.

Caupona, v. **Taberna.**

Causae contentiosae, criminales, feudales, 120,3.
— *canonicae* ad clericorum excardinationem requisitae, 116 ; 117,1
Chirurgia an excerceri possit a clericis, 139,2.
Choreae clericis prohibitae, 140.
Clerici quinam sint, pr. ; 108,1. — *arma* gestare nequeunt, 138,4. — *artes indecoras* exercere vetantur, 138,2. — *bellis intestinis* opem ferre non possunt, 141,2. — maiores tenentur ad recitationem *breviarii*, 135. — *caelibatum* colere debent, 132 ; exc. ad 132. — *collationibus* seu *conferentiis* de re morali et liturgica debent interesse, 130. — *debitores*, 122. — *deputati* munus quando acceptare possint, 139,8. — alicui *dioecesi* vel *religioni* debent esse ascripti, 111,1. — sacerdotes *examen* de sacris scientiis peragere debent, 130. — a *fideiubendo* prohibentur, 137. — *habitum* proprium deferre tenentur, 136,2. — *immunitatibus* quibusdam gaudent, exc. 11 ad 118. — apud *iudicem* ecclesiasticum conveniri debent, 120,4. — quibus ludis uti possint, 138,3. — *medicinam* et *chirurgiam* exercere nequeunt, 139,2. — a *militia* sunt immunes, 121. — minores militiae nomen dare vetantur, 141,3. — quod ad cohabitationem cum *mulieribus* earumque frequentationem, 133. — *negotiationem* seu *mercaturam* exercere prohibentur, 142,2. — *officia* ab ordinario imposita suscipere et adimplere tenentur, 128. — a quibus publicis *officiis* abstinere debeant, 139,3 sqq. — *ordinario* suo obedientiam et reverentiam debent exhibere, 127. — *potestatem* ordinis et iurisdictionis diversimode suscipiunt, 108,3 ; quomodo constituantur in gradibus eiusmodi potestatis, 109. — an propriis *privilegiis* renuntiare possint, 123 ; quando privilegia amittant, 123. — minores dimissi a *religione* an maneant clerici, 111,4. — *residere* debent in propria dioecesi, 143. — ad vitae *sanctitatem* obligantur, 124 ; 125. — *senatoris* munus quando acceptare possint, 139,8. — sacerdotes *studia* intermittere non debent, 129. — *tabernas* vinarias ingredi vetantur, 138,6. — *tonsuram* gestare debent, 136,2. — *venationi* indulgere prohibentur, 138,5. — *vagi* an dentur, 111,2. — quod ad *vitam* communem, 134, — v. etiam **Status clericalis.**
Collationes de re morali et liturgica, 130.
Coma ascititia seu fictitia est clericis prohibita, 136,4.
Conferentiae cleri, v. **Collationes.**
Confessio sacramentalis, v. **Poenitentiae sacramentum.**
Conscientiae examen a clericis peragendum, 125,4.
Corona gestanda a clericis, 136 3·5·
Crapula a clericis vitanda, 138,6.

Debita contracta a clericis, 122,2·
Deputati munus quando acceptandum a clericis, 139,8.
Documenta requisita pro incardinatione et excardinatione clericorum, 112,2.3 ; 117,2.

Ebrietas a clericis vitanda, 138,6.
Ecclesia *militans* quibus membris constet, pr. — *orientalis* quod ad caelibatum clericorum, 132, (13); exc. ad 132,4.(22.)
Episcopi in Ecclesia militante, pr. — pertinent ad s. hierarchiam, 108,4. — sunt Summo Pontifici subordinati, 108,8. — annulum deferre possunt, 136,6. — v. etiam **Ordinarius.**
Examen conscientiae a clericis peragendum, 125,4. — de scientiis sacris per triennium a sacerdotibus subeundum, 130.
Excardinatio quid sit, 111, (8); 112,2. — necessaria ad incardinationem in aliena dioecesi, 112,2. — habetur per concessionem beneficii residentialis, 114; per professionem religiosam, 115. — debet fieri iustis de causis, 116,1. — quando sortiatur effectum, 116,2. — an possit concedi a vicario generali vel capitulari, 113.
Excardinatoriae litterae, 112,2.
Exercitia spiritualia a sacerdotibus peragenda, 126.

Fideiussio quotuplex sit, 137, (1), — clericis prohibita, 137.

Gradus ecclesiasticae potestatis, 108,4.9.

Habitus clericalis: eius forma et color seculis praeteritis, 136,1; et nunc, 136,2. — dimitti nequit, 136,7. — Privatio iuris illum deferendi, 123,2.
Hierarchia sacra quid sit, 108,1; et quotuplex, 108,4. — quibus personis constet, 108,4-9.
Horae canonicae v. **Breviarium.**

Immunitatis clericorum definitio, 118,1; exc. II ad 118,1; origo et extensio, exc. II ad 118.
Incardinatio, quid sit, 111, (8). — fit per primam tonsuram, 111,3.4; per concessionem beneficii residentialis, 114. — in aliena dioecesi, 112,3. — clerici diversae linguae et nationis, 117,2. — an concedi possit a vicario capitulari vel generali, 113.
Incardinatoriae litterae, 112,3; 117,2.
Iniuria realis quid sit, 119,3. — clericis illata est sacrilegium, 119,3.
Iudex laicus non est competens in causis clericorum, 120,4.
Iudiciis laicalibus participare nequeunt clerici, 139,7.
"Iudicium sanguinis,, a clericis non exercendum, 139,7.
Iurisdictio ecclesiastica an exerceri possit a mulieribus, exc. I ad 118.
Iusiurandum praestandum a clericis in aliena dioecesi incardinandis, 117,3.

Laici sunt membra Ecclesiae militantis, pr. — clericis reverentiam exhibere debent, 119,1. — potestatem ordinis et iurisdictionis ac beneficia et pensiones ecclesiasticas obtinere nequeunt, 118,2.
Legati Sedis apostolicae quod ad privilegium fori, 120,5.
Lingua liturgica adhibenda in recitatione breviarii, 135,8.
Liturgia. Quinam sit liber liturgicus pro recitatione horarum canonicarum, 135,5; quae lingua liturgica, 135,8. — Quaestiones de re liturgica a cle-

ricis pertractanda in collationibus, 130.
Ludi clericis permissi, vetiti, 138,3.

Matrimonium nullum vi aut metu, 132,4; inexsistens, 132, (11). — clericis maioribus vetatur, 132,2; minoribus permittitur, 132,5.
Matutinum quando recitandum, 135,8.
Medicinam an clerici exercere possint, 139,2.
Mercatura, v. **Negotiatio.**
Metropolitae quo iure ad s. hierarchiam pertineant, 108,9.
Militia: ab ea clerici sunt immunes, 121; exc. ad 121. — voluntarie non capessenda a clericis, 141,1.
Ministri quinam in hierarchia sacra, 108,6.
Missionarii, quod ad exercitium medicinae et chirurgiae, 139,2; mercaturae, 142, (18).
Morales quaestiones in collationibus a clericis pertractandae, 130.
Mulieres an sint capaces iurisdictionis ecclesiasticae, exc. 1 ad 118. — quae possunt cohabitare cum clericis vel ab illis frequentari, 133. — *religiosae*, quod ad privilegium canonis, 119,5.
Munera ab ordinario imposita a clericis suscipienda et implenda, 128. — publica quod ad immunitatem clericorum, 121.

Negotiatio, quae sit et quotuplex, 142,1 (20). — qua clerici vetantur, 142,2.
Notarios in curia civili clerici agere nequeunt, 139,3.

Obedientia a clericis proprio ordinario praestanda, 127,2.
"Obligationes,, mensarum nummariarum, exc. ad 142,2.
"Odoardus (Capitis),, privilegium, 122,1.
Officia *ecclesiastica*. In eorum collatione attendi debent examina de sacris scientiis, 130,3.
— *publica* clericis prohibita, 139,4 sqq. — quod ad immunitatem clericorum, 121.
Officiales maiores romanae curiae qui sint, 120, (25); quod ad privilegium fori, 120,5.
Oratio est medium ad sanctitatem fovendam, 124,(2.) — *mentalis* a clericis adhibenda, 125,2.
Ordinarius ius habet ad obedientiam et reverentiam suorum clericorum, 127. — an dispensare possit a recitatione breviarii, 135,8. — quod ad privilegium fori, 120,6. — quod ad litteras incardinationis et excardinationis, 112; 113; 114; 116. — quod ad ordinationem alieni clerici, 117.
Ordinatio sacra constituit fideles in gradibus potestatis ordinis, 109,3.4. — alieni clerici quando et quomodo facienda, 117.
Ordines hierarchici, sacri, qui sint, 108,3. — maiores an exerceri possint a coniugatis, 132,5. — inferiores 108, (26).

"Patarinorum,, societas, exc. ad 132,7.
Patriarchae, quo iure ad s. hierarchiam pertineant, 108,9.
Pensiones ecclesiasticae laicis non concedendae, 118,2.
Poenitentiae sacramentum a clericis frequentandum, 125, 1.

Populi consensus et vocatio in constituendis clericis, 109,1.2.
Potestas ordinis et iurisdictionis, 108,4 ; exerceri nequit a laicis, 118. — laica in constituendis clericis, 109,1.2 ; quod ad immunitates clericorum, exc. 11 ad 118.
Praedes qui sint, 137, (1).
Praelati qui dicantur iure et qua potestate potiantur, 101; exc. ad 101. — *nullius*, v. **Abbates.**
Presbyteri, v. **Sacerdotes.**
Primates quo iure ad s. hierarchiam pertineant, 108,9.
Privilegia propria a clericis non renuntianda, 123. — quando ab eis amittantur, recuperentur, 123.
Privilegium *canonis*, 119,4.5. — *competentiae* seu « Capitis Odoardus », 122. — *fori*, 118,3 ; 120.
Procuratoris munus an a clericis exercendus, 139,6.
Professione religiosa sollemni solvitur matrimonium, 132,5. — clericus amittit suam dioecesim, 115.

Quaestiones de re morali et liturgica a clericis resolvendae 130.

Reductio ad statum clericalem, v. **Status clericalis.**
Religiosi in Ecclesia militante, pr. — an per se dicendi sint clerici, pr., (1.) — quod ad collationes de re morali et liturgica, 130,3. — dimissi cuinam dioecesi pertineant, 111,4.
Residentiae lex quod ad clericos, 143.
Romanus Pontifex in Ecclesia militante, pr. — in s. hierarchia supremum tenet locum, 108,7. — quod ad immunitatem, exc. 118,2.
Rosarium B. M. V. a clericis recitandum, 125,3.

Sacerdotes in Ecclesia militante, pr. — in s. hierarchia, 108,5. — suo ordinario speciali modo obedientiam et reverentiam exhibere debent, 127,2 — interesse debent conferentiis de re morali et liturgica, 131,3. — quando spiritualia exercitia peragere tenentur, 126. — tenentur ad examen de sacris scientiis, 130,2. — an ad vitam communem ducendam obligentur, 134.
SS. Sacramentum a clericis visitandum, 125,3.
Sacrilegium quid sit, 119,3. — Eius fiunt rei clerici castitatem non servantes, 132,2 ; clericis iniuriam realem inferentes, 119,3.
Scientia clericis necessaria, 129, 1
Senatoris munus quando acceptandum a clericis, 139,8.
Sententiae exsecutio in causis contra clericos, 120,4.
Spectacula publica quae clericos dedecent, 140.
Status clericalis amittitur a clericis minoribus qui nuptias ineunt 132,3 ; habitum et tonsuram dimittunt, 136,7; voluntarie militiae nomen dant, 141,3.
Studia clericorum propria, 129 ; 130.
Subdiaconatus an semper ordo sacer fuerit, 108,3. — relate ad caelibatum, exc. ad 132, (16). 3. — apud orientales, 108,15.
Subditi an dicantur fideles relate ad praelatos, 108, (53).
Superiores regulares an dici possint praelati ; exc. ad 110,3

— quod ad privilegium fori, 120,5.

Taberna quid sit, 138,6. — vinaria frequentari nequit a clericis, 138,6.

Taurorum agitationi (*corrida de toros*) an clerici interesse possint, 140, (1).

Testimonium quando ferre possint clerici in iudiciis laicalibus, 139,7.

Theatra publica an a clericis frequentanda, 140.

Tonsura quid sit, 136,4. a clericis gestanda, 136,3.4.7. — prima efficit clericos, 108,2; eosque incardinat, 111,3.4.

Transitus clerici in alienam dioecesim, 144.

Tributorum solutio et immunitas clericorum, exc. 11 ad 118; 121.

Vades qui sint, 137, (1).

Vagi clerici an admittendi, 111,2.

Venatio quae clericis prohibetur, 138,5.

Vicarius capitularis, generalis, an clericos incardinare, excardinare possint, 131,1.2.

Vita communis in clericis laudanda et suadenda, 134.

348.1
Oj2

22464

Commentarium in codicem iuris canonici/ B. Ojetti.

DATE	ISSUED TO
	9-88

GAYLORD 40

22464